16

71
3 B
4

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
IV. ~~18.~~ 6

IV
5
B

4.—3. D. 16.

Est Cosmi Camaiani Aretini
Ac Amicorum Commodo

DE CONCILIIS
PROVINCIALIBVS AC DIOECESANIS,
ET DE IIS, QVAE IN IPSIS PRAECIPVE SVNT TRACTANDA.

Quibus accedit breuis, Chriſtianæ ac Catholicæ fidei defenſio: Iudæorum, Mahumetanorum, Hæreticorumque oppugnatio.

MICHAELE THOMASIO AVCTORE.

ISIDORI HISPALENSIS ORDO de celebrando Concilio. Et de varijs Collegijs ad utilitatem publicam conſtituendis.

BIBLIOTH. COLLEG. ROMANI. IHS

ex legato Ph. Pacini

VENETIIS, M D LXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MOTVS PROPRIVS.

PIVS IIII PONT. MAX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

MOTV proprio &c. Cum, ſicut accepimus, dilectus filius Michael Thomaſius nobis nuper exponi fecerit, ſe propria impenſa imprimere uelle opus, quod ipſe confecit, et cuius titulus eſt Michaelis Thomaſii diſputationes quaedam Eccleſiaſticae, dubitetq. ne huiuſmodi opus poſtmodum ab aliis ſine eius licentia imprimatur, quod in maximum ſuum praeiudicium tenderet: Nos propterea eius indemnitati conſulere uolentes, motu ſimili et certa ſcientia eidem Michaeli ne praedictum opus hactenus non impreſſum et per ipſum a Magiſtro Sacri Palatii approbatum, imprimendum, per decem annos poſt eius operis impreſſionem a quocunque ſine ipſius licentia imprimi, aut ab ipſis uel aliis uendi, ſeu in eorum apothecis uel alias uenale praeterquam a dicto Michaele impreſſum uel imprimendum teneri poſſit, concedimus et indulgemus, inhibentes omnibus et ſingulis Chriſti fidelibus tam in Italia, quam extra Italiam exiſtentibus, praeſertim bibliopolis et librorum impreſſoribus, ſub excommunicationis latae ſententiae, in terris uero Sanctae Romanae Eccleſiae mediate uel immediate ſubiectis, etiam quingentorum ducatorum auri Camerae Apoſtolicae applicandorum, et inſuper amiſſionis librorum poenis, toties ipſo facto, et abſque alia declaratione incurrendis, quoties contrauentum fuerit ne intra decennium ab impreſſione dicti operis computandum, dictum opus hactenus non impreſſum et per ipſum Michaelem imprimendum, ſine ipſius Michaelis expreſſa licentia dicto decennio durante imprimere ſeu ab ipſis uel ab aliis praeterquam a dicto Michaele im-

preſſum et imprimendum uendere ſeu uenale habere uel proponere uel ut ſupra habere audeant. Mandantes uniuerſis uenerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis et Epiſcopis, eorumq. Vicariis ſeu officialibus in ſpiritualibus generalibus, et in ſtatu temporali Sanctae Romanae Eccleſiae etiam Legatis, et Vicelegatis Sedis Apoſtolicae, ac ipſius ſtatus Gubernatoribus, ut, quoties pro ipſius Michaelis parte fuerint requiſiti, uel eorum aliquis fuerit requiſitus, eidem Michaeli efficacis defenſionis praeſidio aſſiſtentes praemiſſa ad omnem dicti Michaelis requiſitionem contra inobedientes et rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas etiam ſaepius aggrauando et per alia iuris remedia auctoritate Apoſtolica exequantur, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſaecularis. et inſuper quia difficile admodum eſſet praeſentem Motum proprium ad quemlibet locum deferri, uolumus et Apoſtolica auctoritate decernimus ipſius tranſumptis uel exemplis, etiam in ſingulis libris impreſſis, plenam et eandem prorſus fidem ubique tam in iudicio quam extra haberi, quae praeſenti originali haberetur, et ſic per quoſcumque iudices, tam ordinarios quam delegatos, tam in curia et Italia, quam extra Italiam iudicari mandamus, nulla ignorantiae praetenſione admiſſa. Et cum abſolutione a cenſuris ad effectum praeſentium, et quod ſola ſignatura ſufficiat.

Fiat I.

MICHAELIS THOMASII DISPVTATIONES QVAEDAM ECCLESIASTICAE.

AD CAROLVM BORROMEVM CARDINALEM AMPLISSIMVM.

EX uariis diſputationibus eccleſiaſticis, de quibus librum confeci, et quarum tu multas Cardinalis ampliſſime uidiſti, haſce tres euulgare conſtitui: ut in his paucis experiar, quale erit doctorum ac ſapientium uirorum de his noſtris lucubrationibus iudicium, quas ſi uidero eis non diſplicere, ſtudium omne in aliis poliendis et abſoluendis ponam; ſin minus alio mentem atque animum meum conuertam. non enim is ſum, qui ita res meas amem, ut ſi eas doctis ac bonis uiris uideam non probari; non eas ego quoque facile negligam. Tibi uero in primis Cardinalis ampliſſime has opto placere, et quia tuum iudicium maximi facio, et quia tu multas doctiſſimorum et ſapientiſſimorum hominum de hiſce rebus commentationes collegiſti. quid enim ſuperioribus

diebus

diebus multis conſultationibus egiſti, niſi ut recta ratio conſtituendi Seminarii Mediolani (cuius Eccleſiae tu curam ita ſuſcepiſti, ut ei et boni ciuis, et optimi paſtoris officium exactiſſime praeſtes) explorata tibi et cognita eſſet? poſt quam deliberationem rem ipſam confeciſti, et collegium Seminarii conſtituiſti: utinam alias huiuſmodi res, ut optas, ita conficere poſſes; et non contrariis aliorum ſtudiis impedireris. ad hanc autem Seminarii rationem illa noſtra diſputatio pertinet, in qua de uariis collegiis ad utilitatem publicam conſtituendis tractamus. ratio quoque prouincialium conciliorum, quam altera noſtra tractatione comprehendimus (ut ſpero) non erit omnino inutilis: quam quidem non mea tantum ſponte, ſed hortatu multorum praeſtantiſſimorum hominum, qui eam uiderunt, euulgaui. hiſce duabus eam diſputationem praepoſui, in qua fidem ac religionem Chriſtianam et Catholicam tueor atque defendo. in ea uero Vincentium Lyrenenſem uolui imitari: ita neque longa nimis oratione, neque multis argumentis hinc & inde ſumptis (quod ſine magna difficultate facere poteram) uſus ſum;

ſum; uerum præcipua tantum & maxima quæ dam capita ſelegi, & quæ huiuſmodi mihi uiſa ſunt, ut à quouis cordato ac prudenti uiro facile intelligi ac probari poſsint, id enim ſpectaui, ut quantum poteram, homines omni dubitatione liberarem, & in uera ac Catholica fide confirmarem. nam ſi nullibi ſalus, niſi in hac Catholicæ Eccleſiæ naui reperiri poteſt; quamuis uarijs malis ab aliquibus Naucleris afficiar, omnia mihi patienter ferenda ſunt, modo in ea naui, in qua ſola ſalus inuenitur, manere poſsim. quid enim amentius cogitari ijs hominibus poteſt, qui non contenti antiquitus tradita diſciplina, ſemper aliquid religioni addere, aut detrahere conantur, qua ſi humanum ſit aliquod inuentum religio, & non diuina uirtute Eccleſia Catholica fuerit ſemper gubernata. pręclaram uero Eccleſiam haberemus, ſi eorum inconſtantiam ac leuitatem animi ſectaremur, qui quotidie ſuas opiniones, & ſemper in deterius mutant. qui etiam ea utuntur erga parentes & maiores ſuos impietate, ut eos nō uereantur tamquam idolatras & impios damnare, modo ipſi impietatem ſuam conſtituant. quare cum hæc ſint

noſtra

noſtra tempora, ut liberius quam oporteret homines de religione loquantur & ſentiant, multiq. ob leues quaſdam ratiunculas aliquando nutent, iudicaui huic malo omnino eſſe occurrendum, & rationibus quibuſdam a communi ſenſu petitis horum animos eſſe plane confirmandos. Hoc ſane præſtare conatus ſum, & hoc efficere uolui; quod ſi ſim conſecutus an non, hanc noſtram diſputationem legens, tu Cardinalis amplißime facile iudicabis: nam alias duas diu eſt quod legiſti:

BREVIS CHRISTIANAE AC CATHOLICAE FIDEI DEFENSIO,

ET IVDAEORVM, MAHVMETANORVM, ATQVE HAERETICORVM OPPVGNATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NON leuiter multi animi imbecillioris mouentur, cum tam multas et magnas nationes, ut ſunt Turcae, Perſae, Aegyptii, tota Africa, et Iudaei a Chriſtiana religione diſſidentes uident; quibus etiam auget dubitationem, cum conſiderant inter nos tam magnas diſſenſiones, et haereſes; ut propter hanc diſſenſionem aliquando diabolo inſtigante, et ſemper in malam partem impellente, dubitent fieri poſſe, ut etiam inter Turcas, et reliquos qui Mahumetis inſaniam ſunt ſecuti, poſſit uera aliqua religio reperiri: aut eſſe aliqua in parte Iudaeis, tamquam antiquiſſimis religionis cultoribus adhaerendum. propterea quattuor haec diſputatione hac breuiter tractare conſtitui, adductis potius rationibus, quam diuinarum litte-

rarum locis praeſertim in duabus prioribus partibus; quibus philoſophi et politici quidam homines, ad quos hanc diſputationem praecipue refero, non ita fortaſſe mouerentur; cum rationibus e communi ſenſu petitis, niſi ſint omnis ſenſus expertes, repugnare non poſſint. Primum ergo docebo, Iudaeorum fuiſſe quidem aliquam, ſed nunc nullam eſſe religionē: dein Mahumetanorum neque umquam fuiſſe, neque nunc eſſe ullam: tertium diſſenſiones atque haereſes nihil nos mouere debere, quo minus exiſtimemus in nobis uerā religionem reperiri: demum demonſtrabo in ea parte Chriſtianorū ueram eſſe religionem, qui nullam fecerunt ab aliis diſceſſionem, ſed in Patrum traditionibus permanſerunt. haec omnia cum abſoluerimus, diſputationi huic finem imponemus. De Iudaeis nemo noſtrum dubitat, fuiſſe inter eos aliquando ueram religionem, et uerum Dei cultum: quo etiam tempore florebat apud eos Imperium, et multis gentibus populiſq. imperabant. quod ſi aliquando propter peccata ſua uincebantur, facile emergebant, feminis etiam ad eos in libertatem uindicandos diuina prouidentia excitatis;

tis; ſicut de Delbora et Iudith legimus: hos cum nunc uideamus pluſquam mille quingentos annos in ſumma miſeria iacentes, credendum ne eſt, Deum eos nunc ſingulari, ut ante faciebat, amore complecti, quos tam diu miſerrime permittit affligi? Sane aut nullam dicemus eſſe Dei prouidentiam, aut hos nullo modo dicemus Deo caros, et electos eſſe. quamuis enim Deus ſuos aliquãdo affligi patiatur; numquam tamen eos ita affligi permittit, ut ſuos eſſe obliuiſcatur: ſicut ex hiſtoria Iob, ſi uolumus ſingulari aliquo exemplo uti, diſcere poſſumus. olim enim cum Iudaeis faciebat, quod nunc etiam cum Chriſtianis facit; ut permittat ſaepe partem aliquam Chriſtiani populi a Turcis et pyratis ae diripi, uexari; primum ut multi qui inter nos mali ſunt puniantur, dein ut boni exerceantur: ſed bonos non longo tempore patitur Deus grauibus miſeriis torqueri, ſed illos modis mirabilibus, etiam inter ipſos fidei noſtrae hoſtes, ut ſaepe a multis audiui, iuuat: aut ſi eos diu affligi et morte mulctari permittit; illa eos laetitia perfundit, qua olim Martyres ſanctiſſimos afficiebat, quorũ multi tormenta non ſentiebant. uerum longe

aliud eſt partem aliquam Chriſtianorum pati, ut olim pars aliqua Iudaeorum in ſeruitutem abducebatur; aliud uniuerſos nunc Iudaeos in miſerrima degere ſeruitute. quod ſi dicant, uniuerſos quoque olim Babilonem fuiſſe abductos: atqui tum floruerunt aliqui ipſorum et ualuerunt plurimum in ipſa ſeruitute apud Regem, et durauit ea ſeruitus LXX annos: at nunc omnes abiecti, et uilibus tantum officiis addicti, iam mille quingentos annos in miſerrima ſeruitute uiuunt cum nulla ſpe libertatis. quis ergo dubitet eam gentem Deo propter ſua nefanda peccata eſſe neglectam, quam uidet inter homines adeo eſſe deſpectam? olim etiam florebat apud ipſos, et in maximo pretio erat Sacerdotiū, et maxima Sacrificia ab eo populo Deo offerebantur; nunc uero, cum ſine Sacerdotio, et ſine ullis Sacrificiis more belluarum uiuant, ac tamquam cicadae uel anſeres potius uerſus Dauidicos ſolum decantent, cum eorū ſenſum ne Rabini quidem ipſorum intelligant, quaenam poteſt eſſe apud eos religio? olim quoque quantumcumque afflictae res ipſorum eſſent, ſemper erat inter illos aliquis Propheta, et erant multi ſacrarum littera-

rum

rum et Legis peritiſſimi, quales nunc nulli apud eos reperiuntur. itaque cum nullum ſit inter eos Regnum, nullum Sacerdotium, nullum Sacrificium, nulla iam ſacrarum litterarum ſcientia; quo modo inter eos dicemus ueram religionem reperiri poſſe? Sed uolo hic annotare benignitatem quandam maximam Chriſtianorum aduerſus Iudaeos, quam mihi ſaepe contigit admirari: quae niſi a Deo accepta et inſpirata fuiſſet, numquam ulli homines ea uſi fuiſſent. Primum concedimus Chriſtum noſtrum, quem filium Dei eſſe aſſeueramus, ab eis in crucem actum; et tamen fitemur Iudaeos ipſos uerum cultum Dei ante nos habuiſſe, et libros omnes Prophetarum, et aliorum qui inter Iudaeos ſancti extiterunt, recipimus: quo modo quaeſo ſi haec humana eſſet ſapientia, non diuina; non eo odio contra gentem illam arderemus, quae tantum nefas in Chriſtum, et Deum noſtrum commiſit; ut odio gentis non ſolum hos, ſed illos quoque auerſaremur, et abhorreremus? Nos autem, hoc eſt Sancta et Catholica Eccleſia, tantum abeſt, ut hoc umquam autumarit; ut contra Marcionem, et Manichaeos, qui odio quodam humano

humano hoc dicere, uetus Teſtamentum dam nando, tentauerunt, grauiſſime inſurrexerit, eosq. magis quam ipſos Iudaeos abhorruerit. Abrahami uero fidem, Iacobi bonitatem, et Ioſephi caſtitatem ac manſuetudinem, quis umquam Iudaeus ita laudauit, aut imitatus eſt, ſicut plurimi Chriſtianorum fecerunt? nam ſi uitas ſanctorum hominum noſtrorum percur rere omnes uoluerimus, pro uno Abrahamo multos Abrahamos, et multos Iacobos, et infinitos caſtiſſimos Ioſephos inter noſtros extitiſſe reperiemus. hoc etiam addere non grauabor, quod ueriſſimum eſt; numquam Iudaeos a ſe ipſis tantam fuiſſe gloriam conſecutos, quantam a Chriſtianis acceperunt: ut ex eo aequitas et bonitas Chriſtianorum cognoſcatur, aut uerius diuina ſapientia eos gubernans, et diuina ueritas in eorum animis infuſa. per fidem enim Chriſti Romani, qui rerum potiebantur, et qui ſemper Iudaeos tamquam ſuperſtitioſos et inſanos erant auerſati, confeſſi ſunt eorum cultum, quem antea abhorrebant, meliorem quam ſuorum Maiorum fuiſſe. immo, quod eſt omnino mirabile, Iudaeorum dixerunt diuinum cultum fuiſſe, ſuam uero

inanem

inanem ſuperſtitionem, et daemonum idolo rumq. adorationem abiecerunt. Graeci etiam qui ſe omnium hominum ſapientiſſimos iudicabant, nonne idem quod Romani, aliiq. omnes populi Iudaeorum cultum laudando fecerunt? ac ſane qui tam faciles propter inſpiratam ipſis a Deo ueritatem fuerunt in laudando uetere Iudaeorum cultu, et repudianda maiorum ſuorum idolatria: ii ipſi procul dubio, ſi conſeruanda eis ſacrificia et ritus Iudaeorum fuiſſent, eos quoque conſeruaſſent. ſed cum ab Apoſtolis uere diuinae uoluntatis interpretibus didiciſſent, in lege Iudaeorum quaedam eſſe certa et omnino bona, ut Decalogi praecepta, et aliqua alia, ea quidem retinuerunt; circumciſionē uero et ritus, quos eis Deus imperauerat, ut proteruum populum grauitate praeceptorum aequiorem tractabilioremq. faceret, eos omnes reiecerunt. nā in circumciſione, aliisq. omnibus iudaicis caerimoniis, ex ipſa earum cognitione certum eſt, nullam ſolidam uirtutem in eis potuiſſe reperiri: quamuis quo tempore uiguerunt, obſeruandae ab ipſis fuerunt. ac ſatis benigne cum ea gente Deus agebat, cum alias omnes peſſum et inbaratrum

ire

ire permitteret ob indignationem peccati A-
dae, ſi eam quibuſcumque modis ab ea calami
tate et perditione ſeruaret. cum autem apud Iu
daeos iam nihil manſerit, praeter ineptam
quandam ſuarum caerimoniarum obſeruatio-
nem; perierit autem Regnum, Sacerdotium, Sa
crificia, ut ante diximus, et omnis ſacrarum
litterarum ſcientia; efficitur neceſſario, ut nul
la amplius in ea gente eſſe religio poſſit. De
Mahumetanis, quoniam tot populos, et tot na
tiones uidemus eo errore, et iis ineptiis impli-
catos, dubitabit fortaſſe aliquis, magis quam
de Iudaeis: maxime cum Turcarum Imperium
florere uideat, et noſtro quodam modo immi
nere. uerum cuiuis cordato homini nullam
eſſe eorum religionem, ſed meras eſſe nugas
et ineptias, uel ſola Alcorani lectio perſuade-
bit. religio autem quaenam eſſe poteſt ſine
Sacerdotio, et Sacrificio? quin potius hi mul-
to magis in religione peccare mihi uidentur,
quam olim Gentiles: qui quamuis idolis ſacri
ficarent, tamen formam aliquam Sacerdotii,
Sacrificiiq. et caerimoniarum habebant; cum
Turcae habeant nullam. accedit, quod in qui-
bus fuit uera religio, in his ſemper multi ſapien

tes et

tes et docti uiri extiterunt: ſic olim apud Iudaeos multi Prophetae, et ſapientes uiri fuerunt, apud Aegyptios quoque ueteres, qui Iudaeorum imitatione, unum Deum colebant; multi quoque docti uiri extiterunt. In graecis etiam Socratem, et Heraclitum, et nonnullos alios Iuſtinus philoſophus et martyr in numerum iuſtorum non ueretur referre. ſed Graeci ad noſtram rem nõ ita fortaſſe pertinent; quoniam ego non id uolo docere, in omni gente, in qua fuit litterarum et doctrinae ſcientia, fuiſſe ueram religionem: potuit enim occulto aliquo Dei conſilio etiam minus religioſis hoc donum ſcientiae impartiri: ſed hoc dico, nullam fuiſſe gentem uerae religionis participem, quam Deus noluerit ſcientiae et doctrinae omnino expertem eſſe. nam ſine litterarũ ſcientia uix, ac ne uix quidem tueri ueram religionem poſſemus. quamuis enim principes noſtrae religionis Apoſtoli, miraculo quodam rudes et imperiti fuerint electi, at fuerunt ita a Deo docti, ut quamuis ſermonis elegantiam negligerent, magnam tamen et reconditam diuinamq. ſapientiam oſtenderent. alii autem qui poſt eos ſunt ſecuti, Dionyſius, Ireneus,

C Iuſtinus,

Iuſtinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Baſilius,et alii omni litterarum genere fuerunt exornati: quorum multi publice alios Philoſophiam, Theologiamq. docuerunt. apud Turcas autem quaenam quaeſo eſt doctrina, aut quaenam litterarum ſcientia? neque mihi aliquis dicat reperiri apud illos egregios medicos, qui herbarum tantum ſuccis multis morborum generibus medeantur: hoc enim leue eſt,quod potius euenit ex bonitate fructicum, quae in ea regione naſcuntur, quam ab ulla exquiſita ſcientia medicinae: ſed ut dem illos eſſe medicos peritiſſimos, quid de illis maximis ſtudiis dicemus, quae egent magna animi intẽtione et aſſidua meditatione? ut eſt omnis morum et Reip. doctrina, in qua leges omnes quibus res publicas tuemur, continentur? quid de Theologia? ſcientiam enim perfectam harum rerum nullus ſine magna exercitatione habere poteſt: quod ſi hac utuntur exercitatione, ubi ſunt illorum Gymnaſia? ubi Academiae? quemadmodum apud Catholicos uidemus plurimas, in quibus quotidie melius ſtudia informantur. nam apud haereticos, ut hoc obiter de illis dicamus, ſicut uera religio, ita

ſtudia

ſtudia litterarum iam diu iacere coeperunt. ita, ut in Germania, in qua antea multi docti uiri reperiebantur, uix iam aliquis mediocriter doctus, niſi ſit Catholicus, aut ex illis ueteratoribus, qui a nobis deſciuerunt, inueniri queat: adeo coniuncta fuit uera religio cum ſcientia litterarum. ſed ne quis multitudinem tot populorum, et gentium miretur; conſideret potius ſtultas eorum opiniones, et a communi ſenſu abhorrentes; cumq. eos manifeſte ab omni ueritate uiderit aberrare, Deum ualde laudabit, qui ſe tanto beneficio affecit, ut ab illis erroribus liberarit. ac cum uideris gentem alioqui non ſtolidam, et in qua olim doctiſſimi uiri extiterunt, maxime ſi Afros conſideres, qui nunc ſunt omnium ineptiſſimi, qui tamen nobis Tertullianum, Cyprianum, Auguſtinumq. dederunt: quid aliud dicere poteris, niſi propter maxima peccata gentem illam eſſe ignorátia caecatam; ita, ut uereri quoque de te debeas, ne aliquo graui peccato oppreſſus, lumine diuino priueris. ex quo demiſſe et humiliter gerere nos aduerſus Deum diſcere debemus. ac ſane ſi quis rem accurate conſidarit, non ualde raritatem hanc bonorum mi-

rabitur. nam in omni hominum genere, qui ad aliquam rem uel artem animum adhibent, rari euadunt eius artis egregie, uel etiam mediocriter periti: ita rari ſunt Medici, rari Iuriſperiti, rari Theologi, qui in ſuo quiq. doctrinae genere excelluerint. et ut ad inferiores artes ueniamus, rari ſunt ſculptores, rari pictores, et id genus alii artifices. cum ergo rari ſint, pro uniuerſa hominum multitudine, ſuae artis etiam mediocriter periti; mirandũ non eſt, cum ſit ars difficillima ueritatem religionis tenere, et iuxta eam honeſte uiuere, ſi pauci eam tenent, et ſe iuxta illam exercent? ego enim non uideo quid differat Chriſtianus omni uitiorum genere inquinatus, et in eis obſtinate uiuens a Turca, uel Afro; niſi quod ille grauius, quia ſceleratius peccauit, punietur. quod autem Turcis, qui animum ad contemplationem ueritatis adiungere uoluerunt, diuina gratia non deſit; declarant exempla aliquorum, qui ſuperioribus annis ex diligenti Alcorani et Euangelii inſpectione, ipſi per ſe ipſos didicerunt ineptiis eſſe refertum Alcoranum; contra in Euangelio nudam ſimplicemq. ueritatem contineri. quod cum publice euulgaſſent,

ſent, et coram Turcarũ tyranno profeſſi eſſent, conſtantiſſime in ea confeſſione mortem obierunt: quos etiam alii ante paucos annos ſunt imitati. ſuperioribus etiam diebus uidimus hic Romae duos nobiles iuuenes Turcas ſponte ſua, nulla ui coactos patria relicta Zaram, tantum ut diſciplina Chriſtianorum imbuerentur, ueniſſe. quos eius ciuitatis Epiſcopus rei nouitate commotus Romam uenire iuſſit, ut hic diligentius hominum ingenium exploraretur. qui cum uere, et ex animo ſalutem animae ſuae quaerere reperti eſſent, poſtquam diligenter fidem Chriſtianam edocti fuerunt, cum magno honore, ut decebat cum nobilibus et tam bene animatis iuuenibus fieri, fuerunt publice baptizati. Ac ſane ſperarem, ſi aliqua eſſent apud illos ſtudia litterarum, facile poſſe multis ineptias ſuas indicari: quod nunc cum ignaris litterarum non ita facile fieri poteſt. Imperium autem illis Deus ad puniendos et caſtigandos nos conſeruat; quod tamen illi non aequitate legum, ſed ui quadam tyrannica tuentur. cum enim nihil quiſquam habeat proprium, etiam qui maximis honoribus et magiſtratibus functus eſt, de quo teſtari poſſit,

et cum

et cum omnes ſe Tyranni ſeruos fateantur, et ſint reuera; nonne tyrannicam plane uim ſine ulla aequitate in eorum Regno eſſe dicendum eſt? Quare, cum Regnum ſine bonis et aequis legibus non tam Regnum, quam tyrannis plane dicenda ſit, quae ſola apud illos reperitur; deſint autem Sacerdotium, Sacrificium, et omnis litterarum ſcientia, quamnam dicemus eorum religionem eſſe, in qua haec omnia deſunt? Ac ſane praeclaros haberet religionis duces, ſi quis eos ſuperſtitionibus, ineptiisq addictiſſimos, et omnis uerae pietatis, et doctrinae ignaros ſequi cōſtitueret. ſed dubitabit apud ſe aliquis et mirabitur, quid hoc ſit, quod tam multi populi, et nationes factae quodam modo a Deo ut in aeternum pereant uidentur; et dicet: cur Deus animas Iudaeorum et Turcarum infantibus creat, quas ſcit eſſe perituras? ſed hoc mirari deſines, ſi haec quae breuiter ſubiiciam conſideraueris. Primum hoc ſcire te oportet, Deum qui bonitate egregia mundum hominesq. creauit, legibus quibuſdam ſic ſe conſtrixiſſe, ut ab illis nullo modo uelit recedere: cum enim dixiſſet, creſcite et multiplicamini, ea ſe lege deuinxit, ut

cum

cum partus in utero cuiuſcumque mulieris ſiue Iudaee, ſiue Arabicae, aut Turcicae, ita con formatus eſſet, ut recipere animam rationalem poſſet, eam infunderet. ita quamuis eos perituros uideat, non uult ab ea lege ſua recedere. quibus etiam melius multo eſt, hac luce et hac uita fruitos eſſe, quamuis in inferno poſt modum propter ſua peccata torqueantur, quam omnino non fuiſſe. Itaque negare non poſſumus Deum bonitate et miſericordia eos ſua, non ſolum in hoc mundo, uerum etiam in inferno complecti: ſed iuſtis ac bonis ex hac multitudine malorum infinitus cumulus utilitatum accedit. Primum enim exercentur ſaepe a malis et probantur: alterum, quod ſentiunt ſe multo magis deuinctos ad agendas immenſas Deo gratias, cum ſe uident tantis beneficiis a Deo affectos, cum tam multi ſe ipſos ea gratia priuauerint. nam Deus optimus, quamuis aliquibus, quos uult eminentiores et ſanctiores aliis eſſe, maiora gratiae dona largiatur; nullus tamen eſt, cui non id donet et in animum inſtillet, quo ſi uti uelit, poſſit effici particeps aeternae ſalutis. quaero autem a te, quonam pacto melius et ſapientius Deus potuerit mun

dum

dum gubernare, an ita, ut electi omnes ipſi ſo li una aetate trecentum annorum, aut amplius extitiſſent, quos, poſtquam ad ſe Deus aſſumpſiſſet amplius nullus mundus eſſet: an hoc modo, cum per multas aetates permittit ſemper mundum plenum eſſe hominibus, ſingulis aetatibus partem aliquam electorum largiens, quos mali exercent? cum tamen ipſi illos iuuare conentur, et ſaepe efficiant, ut multi, qui antea erant mali, ad meliora conuertantur. an non illuſtrius et magnificentius eſt, ſic mundum, quam illo modo gubernari? primū enim duratio ipſa mundi melior eſt, quam breuitas; dein magnificentius eſt Deum tam multos homines creare, qui omnes, ſi uelint, poſſunt ſe ipſos bonos et iuſtos, diuina gratia ſemper illis fauente, efficere, quam ſi tantum illos qui electi futuri ſint crearet. tertium quia ipſis melius eſt, primum uita hac frui, deinde uiuere et eſſe, quam ſi omnino numquā fuiſſent. quartum, quia ſi Deus tantum crearet electos, idem fuiſſet poſt peccatum Adae, ac ſi non peccaſſet, et idem eſſet in hoc mundo, aut in paradiſo terreſtri uerſari; quod et abſurdū, et contra omnem iuſtitiam eſſet. demonſtro

hoc,

hoc, quia uideri poteſt obſcurius. ſi omnes qui in hunc mundũ editi eſſent ſeruarẽtur, quodnam diſcrimen eſſet huius ſtatus rerum poſt peccatum, et illius qui futurus fuiſſet ſi Adam non peccaſſet? Vides ergo his omnibus euidentibus rationibus, electis melius eſſe, et quod ad Deum attinet iuſtius, magnificẽtius, ac ſplendidius eſſe mundum ſic gubernari, ut ſingulis aetatibus infinita hominum multitudo procreetur, quam ſi una aetate omnes electi in lucem prodiiſſent, et mundus eſſe deſiiſſet. accedit hoc, in quo eſt maxima uis, quod cum omnia Deus propter electos fecerit, illis adſunt cauſſae multo maiores, et quodam modo infinitae magnas agendi Deo gratias, cum ſe uident ex tanta multitudine electos, et diuino lacte ſemper nutritos; cum contra multos uideant ſibi naturalibus donis pares, ſe ſuis flagitiis in tartara demiſiſſe. Itaque gratias agunt ingẽtes Creatori, Seruatori, Cuſtodi, ac Liberatori ſuo; ſeq. ſubmiſſius illi ſubiiciunt, cum uident, ſe quoque potuiſſe in tartara damnari, quam ſi nulli eſſent, qui eos huius conſiderationis admonerent. deſine ergo amplius Chriſtiane mirari, tam multos perire, cum omnes

D ſeipſos

ſe ipſos ſuis flagitiis perdant; at tu caue, et bonis tuis, Deum ſemper uenerando atque amando, fruere, et aliorum caſum calamitatemq. miſerans, pro eis ora; eosq. cura et opera tua quátum potes ad meliora conuerte: quos ſi negligere uideris, tu tibi conſule; neque umquam malorum multitudine ita mouearis, ut cum illis potius perire, quam cum paucis bonis uelis ſeruari. quae omnia tam ad multitudinem Turcarum, Perſarum, Afrorum, et Iudaeorum, quam Chriſtianorum ſuis ſceleribus pereuntium, referenda ſunt. minimam uero apud Deum rationem multitudinis malorum habeti, cum contra paucorum bonorum maxima habeatur, facile intelliges, ſi ad Noe et ipſius familiam, et reliquos omnes qui diluuio perierunt reſpicias. His poſitis, nunc ad haereſes et diſſenſiones quae ſunt inter Chriſtianos ueniamus. quibus diſſenſionibus Chriſtianorum, ſi Iudaeus, aut Gentilis moueatur, et dicat ſe nolle ad Chriſtianos accedere, quos uidet tam uariis opinionibus diſſentientes, his facile reſpondebimus; ac primum Iudaeo: an neſcis quam diu inter Iudaeos, Phariſaeorũ, Saducaeorum, et Eſſenorum ſectae durauerunt, et id quidem

in una

in una ciuitate Hieroſolymorū? quid ergo mirum, ſi in tam magnis Regnis et populis ſunt aliqui, qui ab aliis diſſentiant? Gentili autem, ſi fuerit philoſophiae et bonarum artium non imperitus, poſſumus facile obiicere maximas philoſophorum diſſenſiones: in quibus uix licet unum reperire, qui in omni parte cum alio conſentiat. . Itaque fuit ſemper hoc humani ingenii uitium, ut facile alius ab alio diſſentiat, difficillime cōſentiat. et fuit maximum Catholicae Eccleſiae miraculum, quod tam multi populi tot annis, in una fidei ſententia conſenſerint. in qua, tametſi nunc maxima eſt diſſenſio, tamen multo plures ſumus, qui in ueteri et antiqua Patrum traditione perſeueramus, et ſunt in nobis multo doctiores et praeſtantiores uiri, quam in his, qui noua ſua figmenta conſectantur. ſed breuiter aliqua ſigna attingam, ex quibus quiuis mediocriter eruditus, modo nō obſtinate agat, poterit intelligere, illos nugari in ſuis opinionibus et inſanire, nos autem praeclare ſentire: quae ſane magna parte ſumpſi a ueterrimo et doctiſſimo ſcriptore Clemente Alexandrino; quae tamen ita cōueniunt cum haereticis noſtri temporis,

ut quodam modo ille haec diuinaſſe uideatur. Primum autem praefabor neceſſe eſſe ut ſint haereſes, quia a domino Mathaei xiii capite prophetice dictum eſt, ſeminanda eſſe in frumento zizania. et Apoſtolus prima ad Corint. cap.xi.ait: oportet haereſes eſſe, ut probati manifeſti fiant. quod ſi quis iſtorum hoc ſumpto argumento dicat: ſi neceſſe eſt uenire haereſes, et id ex diuina atque apoſtolica praedictione, haereſiarche non peccant, qui id faciunt, quod neceſſario faciendum eſt; immo praeclare faciunt, qui Chriſti et Apoſtoli praedictionem, quantum in ipſis eſt, ueracem nituntur efficere: huic reſpondemus, eadem ratione probari poſſe Iudaeos recte feciſſe, cum Chriſtũ crucifixerunt, quia hoc erat a Prophetis praedictũ, quod eſt abſurdiſſimũ. quia enim futuri erant mali haereſiarchae, qui haereſes ſeminarent; fuit illud a Chriſto praedictũ: ſicut Math.xviii capite ait: neceſſe eſt, ut ueniãt ſcandala, ſed ue homini illi per quem ſcandalum uenit. in quo aperte declarauit, ſe ſcandala et haereſes, atque earum auctores deteſtari; ſed quia praenouit multos peſſimos homines earum auctores futuros eſſe, dixit eas uenturas. hac ergo praedi-

ctione et prophetia domini poſita, tractemus aliqua in quibus haeretici omnes; quamuis opinionibus inter ſe ualde diſſenſerunt, tamen in iis, quia ſunt communia omnium haereſum principia et fomenta; conſenſerunt. Primum, quod noſtri haeretici nunc ſemper in ore habent, nolle ſe aliquid admittere, niſi ſit in ſacris litteris expreſſum; ea fuit antiqua Arianorum cantilena, qui ὁμοούσιον admittere nolebant, quod nō eſſet in ſacris litteris expreſſum. idem fecit Neſtorius, negans beatam uirginem Mariam θεότοκον eſſe appellandam, quia hoc uocabulum in ſacris litteris non reperiebatur. ergo noui haeretici, cum hoc repetunt, non recedunt a magiſtris ſuis ueteribus haereſiarchis, quos generalia concilia condemnarunt, et diuino iudicio tamquam hoſtes ſuos, Chriſtus ipſe mulctauit. nam Arii uiſcera in ſeceſſum quendam una cum omni colluuie ceciderunt, et ita miſer ille in aeternum periit. et de Neſtorio refert Nicephorus, lingua eum a uermibus corroſa ingemiſcentem et lamentantem ad maiora et ſempiterna ſupplicia emigraſſe. quod ſi huius temporis haereſiarchae in hac uita nullo inſigni ſupplicio afficiuntur, credendum eſt

Quo obierit Arri
et quo Nestori

aeternis

aeternis eos ſuppliciis grauius eſſe puniendos. iis uero qui adhuc ſuperſtites ſunt, timendum eſt, ne quid ſimile eorum quae diximus, cum illis longe ſint peiores, contingat: quod utinã non fiat, ſed ad meliorem mentem conuertantur. eſt alterum, quo ſemper haeretici uſi ſunt, quod cum ex ſacris litteris, uel ſanctiſſimorum hominum libris aliqua ad confirmandas ſuas opiniones adducunt, uix umquam illa integra citant, et ſaepe uoces quaſdam ambiguas captant, aut in uocibus ipſis, magis quam in earum ſignificatis innituntur. de quibus elegantiſſime Clemens Alexandrinus in ſeptimo libro ſtromatum Valentini, Marcionis, et Baſilidis conſuetudinem deſcribens ſic loquitur, ut magis noſtri temporis haereticorũ mores, quam illorum expreſſiſſe uideatur: ſed mirum non eſt ſi in hoc quoque conſenſerunt, cum idem fuerit illorum et horum ſpiritus, nempe diabolicus. Quod ſi propheticis quoque ſcripturis uti auſi fuerunt, qui perſequuntur haereſes, primum quidem non omnibus, deinde non perfectis, neque ut dictat corpus et contextura prophetiae, ſed eligentes ea quae dicta ſunt ambigue, traducunt ad proprias opinio-

nes;

nes; paucas uoces ſparſim carpentes, non id conſiderantes quod ex ipſis ſignificatur, ſed ipſa nuda dictione utentes. nam in omnibus fere dictis quae adducunt, inueneris ipſos ſola nomina attendentes, ut qui mutent ſignificata, neque quem ad modum dicantur cognoſcunt, neque iis quas adferunt allegationibus, ita ut earum natura poſtulat, utuntur. ueritas autem non inuenitur in eo quod transferat ſignificatá, ſic enim omnem ueram euerterent ueritatem: ſed in eo quod conſiderent, quid domino et omnipotenti Deo perfecte conueniat, et eum deceat, et in eo quod confirment unum quodque ex iis quae demõſtrantur per ſcripturas ex ipſis rurſus ſimilibus ſcripturis. an non haec omnia ueriſſime nouis haereticis conueniunt? Tertium, quod cum urgentur, et ex communi et antiqua conſuetudine Eccleſiae ita conuincuntur, ut reſpondere non poſſint; ut ſuam haereſim tueantur, imperceptibiles quaſdam rationes ſibi fingunt, communibus atque antiquis, tamquam uilibus reiectis. ſic noui haeretici, cum argumentis quae pro antiqua Eccleſia adducebantur ita urgerentur, ut reſpondere nihil, niſi abſurde poſſent; inuiſibilem

ſibilē ſibi quandam Eccleſiam finxerūt, quam neque ipſi, neque ullus umquam uidit, aut uidere poterit. ita cum fide ſine operibus iuſtificari hominem uellent, quam ſibi illi fidem finxerunt? talem ſcilicet, quae non fideles homines, ſed infideles efficiat. hoc quoque ſignum, ne quis nouum putet, idem Clemens annotauit: Cum uiderent ergo ſibi imminere periculum, non de uno dogmate, ſed de conſeruanda haereſi, non ueritatem inuenire, ſed quae ſunt in medio poſita, et in promptu ſunt apud nos legiſſent, ea ut uilia contempſerunt, ſed quod eſt commune fidei ſuperare contendentes exceſſerunt a ueritate. quartum, quod ea quae ſibi errore quodam mentis finxerunt, ſicut de inuiſibili Eccleſia ante dixi, pertinacius ipſi defendunt, quam nos ea quae manifeſte ſcimus uera eſſe. neque ſolū hoc faciunt cum Catholicis, ſed idem cum aliis haereticis, qui in aliqua opinione ab ipſis diſſentiūt; nos autem timent et odio proſequuntur, hos uero irrident; quod etiam Clemens breuiter annotauit: nihilo ergo apertius uidere licet affirmantes eos qui ſciunt de iis quae ſciunt, quam hos de iis quae opinantur, quod attinet ad affirmandum,

mandum, abſque demonſtratione. ſe itaque inuicem deſpiciunt et irrident; et accidit, ut eadem intelligentia ab aliis quidem in magno honore habeatur, ab aliis autem damnetur amentiae. Ac ſane nullum eſt certius argumentum apud illos nullam eſſe ueritatem, quam, quod a tam paucis annis, quibus a nobis deſecerunt, tam uariae ſunt inter eos de praecipuis dogmatibus diſſenſiones, ut iam magis ipſi inter ſe, quam nobiſcum uideantur diſſentire. diabolico uero ſpiritu eos agitari, non diuino, nullo argumento poteſt clarius demonſtrari, quam hoc diſſenſionis. uerum cum illi nobis obiiciunt etiam inter nos eſſe graues diſſenſiones, et inter Petrum, et Paulum, ac Barnabam fuiſſe; facile reſpōdere poſſumus: et illas Apoſtolorum, ne nunc longius de illa oeconomia ipſorum cogamur tractare, et noſtras tales eſſe, primum, quae fidem non attingant; dein quae facile ſedari poſſint, cum omnes profitemur, nos Catholicae Eccleſiae, et ipſius Paſtori atque Hierarchae eſſe parituros. quid autem ſimile eſt in eorum diſſenſionibus, quas ſaepe uſque ad mortem furiis agitati perſequuntur. Itaque cum illi ſint contentionum amantiſſi-

mi, quando Catholicis contingit cum haereti cis diſputare, hanc cautionem non inutilem eſſe cenſerem; ut prius cogeret haereticum ſuam opinionem argumentis cōfirmare. nam facilius multo erit ipſius argumenta refutare, quae magna parte ſunt abſurda; quam conten tioni contra tua argumenta ab haeretico ſuſce ptae finem imponere. nam illi nil magis urgent, quā noſtrorum paſtorum negligentiam, et infinita uitia; quae cum negare non poſſimus, monebimus, ut duos illos filios Noe, po tius quam Cham imitentur, qui patris nuditatem non ſolum aliis non indicarunt, uerum nec propriis oculis aſpexerunt; ſed auerſi, ut ſcribitur, eum texerunt; et propterea benedictione paterna fuerunt donati. ergo, ſi uolumus cum illis benedictionis effici participes, ſic facere debemus; ut Paſtores noſtros auerſi operiamus; hoc eſt, ut eorum uitia non approbemus, neque detrahendi ſtudio prodamus. nam ſi ea ridere, et omnibus indicare uoluerimus, quod tamen iſti ita faciunt, ut nihil aliud ſuſcepiſſe uideatur, erimus potius maledictionis Cham, quam illorum benedictionis participes. quod ſi quis miretur, tantam haeretico-

rum

rum multitudinem tam breui tempore in nationibus, de quibus nihil tale cogitabatur, extitiſſe, quod ſane mihi ſaepe contigit mirari; ad hoc unum reſpiciens, fortaſſe animo erit poſthac quieto et tranquillo; et in fidei ſinceritate eo erit conſtantior, quo plures uiderit in tam magnos errores abſtractos. Primũ, certum eſt in quibuſcumque populis quantumcumque Catholicis et bonis, eſſe multo maiorem turbam malorum et ſceleratorũ hominum, quam bonorum; ad hos cum notitia aliqua haereſeos et erroris peruenit, facile eã tamquam propria quadã eſca capti, in exitium ruunt. quod uero ad Deum attinet, perinde eſt, cum eſſent ſuis flagitiis perituri, an iis, an haereſibus in errorem abſtracti ad tartara detrudantur. Eccleſiae uero proſunt aliquando potius hi, quam quod eam ullo damno afficiant: nam cum ante inter nos tamquam amici, et reuera hoſtes eſſent, uerſabantur; plus nocere poterant, quã a nobis plane diſiuncti et ſegregati. alterum, quod Catholici, cum uident ſe a tam multis acrius oppugnari, obfirmant animos; et orationibus ad Deum, ſanctiſq; et honeſtis actionibus, et ſanctorum ſtudiis ſe ipſos armãt con

tra omnes haereticorum nugas, et uanas uerborum diſceptationes; quod ſane ſi aliquando contigit, nunc maxime dicere poſſumus in Catholica Eccleſia eueniſſe: nec uero metuenda eſt horum multitudo; cum multo plures et praeſtantiores eſſent tempore Conſtantii Imperatoris illi, qui a uera Nicenae Synodi fide deſciuerant; quorum omnium opiniones, quia fallaces, et contra ueram religionem erant, ita euanuerunt, ut intra paucos annos nullus eius opinionis aſſertor fuerit; quae tamen ante habebat fere doctiſſimos quoſque Graecos et Latinos Epiſcopos aſſertores. ſi ergo illa haereſis euanuit, dubitandum non eſt, hanc quoque euanituram. ſed interim uult nos Deus probare per huiuſmodi magiſtros, qui ſunt aliquando homines magnae eruditionis, et uitae ualde commendatae, quales depingit Moyſes Prophetas, quorum uerba ait nullo modo eſſe audienda, quia, inquit, tentat uos Dominus Deus ueſter, ut palam fiat utrum diligatis eum in toto corde et tota anima ueſtra, an nō? quē locum tractat elegantiſſime Vincentius Lirinenſis, ita ut nulla noſtra egeat explanatione. Tribus ergo noſtrae huius diſputationis partibus

bus expoſitis, reſtat, ut breuiter extremá quoque partem abſoluamus: ſcilicet eorum Chriſtianorum ueram eſſe religionem, qui nullam diſceſſionem ab aliis fecerunt, ſed ipſi in Patrum traditionibus permanſerunt. ac ſane certum eſt, eòs qui diſceſſionis et diſcidii ſunt auctores, ſemper aliis eſſe deteriores. Ita cum in populo Iſraelitico a ſemine Dauid decem tribus cum Ieroboamo diſceſſiſſent, ſemper illae deteriores iudicatae ſunt; duae autem, quae cum Roboamo filio Salomonis permáſerunt, quamuis Rex ipſe non ita carus Deo fuerit, tamen cariores Deo, quam illae decem fuerunt. idem omnibus antiquis haereſibus contigit, quarum multae doctiſſimos, grauiſſimos, et potentiſſimos aſſertores habuerunt: quorum tamen opiniones non ſolum deteriores aliis habitae fuerunt, uerum etiam omnes extinctae ſunt, atque euanuerunt. nemo enim, ut uere dixit Vincentius, haereſes inſtituit, niſi qui ſe prius ab Eccleſiae Catholicae, uniuerſitatis et antiquitatis cõſenſione diſcreuerit. ergo cum conſtet nos a nulla paterna traditione diſceſſiſſe, illos autem conſtet a nobis, cum quibus ante quinquaginta annos conſentiebant, deſeciſſe;

feciſſe; efficitur, ut illorum nouitas ſit reſpuenda, noſtra antiquitas ſit amplectenda, et conſeruanda. ſed reſpondent ipſi, ſi ea ratio ualeret, reprehendendi eſſent ueteres Iudaei, qui ab antiquis ſuis traditionibus defecerunt, et Chriſti Euangelium amplexati ſunt. cuius tamen diſceſſionis longe alia ratio fuit. Primum, Chriſtus nihil in lege nouauit, ſed quem illi ſperabant, docuit ueniſſe; ac legem ſuo aduentu abſoluit et perfecit, non mutauit. alterum, in quo eſt tota uis: Chriſtus doctrinam ſuam euidentibus miraculis et per ſe ipſum, et per ſuos Apoſtolos editis, confirmauit: quae niſi effeciſſet, nullum peccatum commiſſent, ſi ei nullam fidem Iudaei adhibuiſſent, quod ipſe Ioannis xv. capite clare profitetur: ſi opera nō feciſſem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent. et alibi, ſi mihi non uultis credere, operibus credite. cum autem nulla huiuſmodi miracula a nouis iſtis magiſtris edātur; cuius ſtultitiae et leuitatis eſt, eos neglecta omni antiquitate ſectari? aut quaenam eſt iſta tua impudentia homo omnium ſtolidiſſime, ut te Chriſto maiorem efficias? nam cum ille ſibi non omnino noua docenti credi ſine miraculis nollet, tu uero

tu uero tibi plane noua fingenti credi ſine ullo miraculo uelis, nonne te, omnium impudentiſſime, maiorem Chriſto conaris efficere? quo nihil ſceleſtius, aut ſtultius excogitari poteſt. quid uero hi aliud iis dicunt, quos a nobis ad ſe trahere conantur, niſi quod olim alios haereticos refert dixiſſe Vincentius: uenite o inſipientes et miſeri, qui uulgo Catholici uocitamini, et diſcite fidem ueram, quam praeter nos nullus intelligit, quae multis ante ſaeculis latuit, nuper uero reuelata et oſtenſa eſt: ſed diſcite furtim atque ſecrete, delectabit enim uos. quos quis erit ita ſtultus ut audiat, aut ita ad credendum leuis, ut eis credat? quales utinam non multi reperirentur. quaenam enim poteſt eſſe doctrina, quam ii furtim docent, cum dominus Ieſus ſuam palam omnibus praedicarit? et quaenam quaeſo eſt haec ueſtra ueſania, ut contenti non ſitis antiquitus tradita diſciplina, ſed nouam quotidie quaeratis, ſemperq. aliquid addere uel detrahere religioni geſtiatis? quaſi non caeleſtis ſit, quam ſufficit ſemel eſſe reuelatam, ita ut nulla emendatione, aut ulla humana additione opus habeat. Quid? Chriſtus ipſe, nonne aperte praedixit futuros,

pulcra Ratio.

qui di-

qui dicerent, ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic? quibus tamen admonet nullo modo eſſe credendum. et Paulus? nonne bis idem repetens; ut quantum illud aſſeueraret oſtēderet, ad Galat.cap.primo dixit: ſed licet aut nos, aut Angelus de caelo euangelizet uobis praeter quam quod euangelizauimus, anathema ſit. an ita inſanitis, ut hoc anathema non metuatis? ſed ſcio quid iſti dicunt: nos Euangeliū illud Pauli non ſectari, ſed ipſos eſſe ueros illius Euangelii ſectatores; hic eſt eorum ahaeneus murus; quem facile, niſi fallor, euertemus. ante quinquaginta annos, cum Germani, Angli, ac Galli, cum Italis, et Hiſpanis omnibus in fide conſentirent, erat hoc Euangelium de quo Paulus loquitur, an non? ſine dubio dicetis apud eos fuiſſe, ne Patres omnes noſtros eo anathemate dicatis fuiſſe perculſos: cū ergo nos illud idem Euangelium retineamus, uos nouum euangelium finxeritis, nonne huic anathemati ſubiacetis? nimirum ſubiacetis; ſed duritia et obſtinatione ueſtra uim illius, quae tamen eſt maxima, et ipſis Angelis metuenda, non ſentitis. ſed ſcio quid dicunt: ſi ita horretis omnia nouitatis ſtudia, nihil ergo erat in bonis litteris

nouandum,

nouandum, ſed quemadmodum patres noſtri fecerunt, in dialectica, philoſophiaq. fuerunt ſemper Petrus Hiſpanus, Maioris, Colonelli, et alii huiuſmodi uerſandi; et Theologia fuit ab Alcoto, et Bricoto, potius quam ex ſacris ipſis, et ueterum Patrum libris haurienda: atqui nos, ut ipſi uidetis, hoc non facimus, apud quos multo plures ſunt reconditae litteraturae ſcientia inſtructi, et ſermonis elegantia exornati, quam apud uos: ſed hoc cum facimus, noue, et melius aptiusq. quam maiores noſtri loquimur, ſed noua dogmata non commentamur. de qua re, uolo potius hic ea referre, quae ſcripſit uetus auctor doctiſſimus atque elegantiſſimus Vincentius, quam noſtra inculcare: referens ergo ſermonem Pauli ad Timotheum ait: o Timothee, o Sacerdos, o doctor, ſi te diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, eſto ſpiritalis tabernaculi Beſeleel: pretioſas diuini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adiice ſplendorem, gratiam, uenuſtatem: intelligatur te exponere illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antea uetuſtas non intelle-

F ctum

ctum uenerabatur: eadem tamen quae didiciſti, ita doce, ut cum dicas noue, non dicas noua. ſed forſitan dicit aliquis; nullus ne ergo in Eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis? habeatur plane et maximus; nam quis ille eſt tam inuidus hominibus, tã exoſus Deo, qui iſtud prohibere conetur? ſed ita tamen, ut uere profectus ſit ille fidei, non permutatio. ſi quidẽ ad profectum pertinet, ut in ſemet ipſa una quaeque res amplificetur; ad perturbationem uero, ut aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Videtis ſententiam Sanctiſſimi, doctiſſimi, et antiquiſſimi ſcriptoris: nunc uos ipſi iudicate, an multa ex fide, et dogmatibus Patrum noſtrorum, quos certo ſcimus fideles fuiſſe, uos mutaueritis; an illa, cauſſa melius explicandi illuſtraueritis? quis enim neſcit, multa uos contra communem Nationum fidem, quae ſuperiori aetate omnes in una fide cõſentiebant, mutauiſſe? efficitur ergo, ut non dicere aliqua noue, ſed noua fingere uolueritis. tum ergo nos antiquum illud Pauli Euangelium, quod ſine dubio ad Patres uſque noſtros manauit, ſectemur, uos nouum uobis fingatis, fit omnino ut illo Pauli anathemate obſtricti teneamini.

ni. cuius ſane uim Angelis ipſis metuendam, niſi plane mortui eſſetis, ſentiretis. uerum ut intelligatur, diſſentiētibus de fide Chriſtianis, apud quos ſit Catholica et uera fides, nemo melius quam idem Vincentius Lirinenſis explicauit: quem propterea tam ſaepe cito, quia nullus breuius, doctius, et elegantius iis de rebus nos admonuit, et tractauit; cuius uerba tranſcribere non grauabor. In ipſa item Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt etenim uere proprieq. Catholicum, quod ipſa uis nominis ratioq. declarat, quae omnia uere uniuerſaliter comprehendit. ſed hoc ita demum fit, ſi ſequamur uniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. ſequemur autem uniuerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem ueram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: antiquitatem uero ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtū eſt: conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa uetuſtate omnium, uel certe pene omnium Sacerdotū, pariter et magiſtrorum diffinitiones ſenten-

tiasq. ſectemur. quid igitur faciet Chriſtianus Catholicus, ſi ſe aliqua Eccleſiae particula ab uniuerſalis fidei communione praeciderit? quid itaque, niſi ut peſtifero corruptoq. mem bro, ſanitatem uniuerſi corporis anteponat? quid ſi nouella aliqua contagio, non iam portiunculam tãtum, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? tunc item prouidebit, ut antiquitati inhaereat, quae prorſus iam nõ poteſt ab ulla nouitatis fraude ſeduci. quid ſi in ipſa uetuſtate, duorum, aut trium hominum, uel certe ciuitatis unius, aut etiam prouinciae alicuius error deprehendatur? tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati, uel inſcitiae, ſi qua ſunt uniuerſaliter antiquitus uniuerſalis Eccleſiae decreta praeponat. quid ſi tale aliquid emergat, ubi nihil huiuſmodi reperiatur? tunc operam dabit, ut collatas inter ſe maiorum conſulat, interrogetq. ſententias: eorum dumtaxat, qui diuerſis licet tẽporibus et locis, in unius tamen Eccleſiae Catholicae communione et fide permanentes, magiſtri probabiles extiterunt: et quidquid non unus, aut duo tantum, ſed omnes pariter uno eodemq. conſenſu, aperte, frequenter, perſeuc-

ranter,

ranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe cognouerit, id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum. quam rem iterum idem auctor, aliqua adiungens, non minus eleganter explicauit. Sed dicit aliquis, ſi diuinis eloquiis, ſententiis, promiſſionibus, et diabolus et diſcipuli eius utuntur, quorum alii ſunt pſeudo apoſtoli, et pſeudo prophetae, et pſeudo magiſtri, et omnes ex toto haeretici, quid facient Catholici homines, et matris Eccleſiae filii? quonam modo in ſcripturis ſanctis ueritatem a falſitate diſcernent? hoc ſcilicet facere magnopere curabunt, quod in principio cōmonitorii iſtius ſanctos & doctos uiros nobis tradidiſſe ſcripſimus: ut diuinum Canonem ſecundum uniuerſalis Eccleſiae traditiones, et iuxta Catholici dogmatis regulas interpretentur: in quo itē Catholicae Apoſtolicaeq. Eccleſiae ſequantur neceſſe eſt, uniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. et ſi quando pars contra uniuerſitatem, nouitas contra uetuſtatem, unius uel paucorum errantium diſſenſio cōtra omnium uel certe multo plurium Catholicorum conſenſionem rebellauerit; praeferant partis corruptioni uniuerſitatis integritatem: in qua ea-

dem

dem uniuerſitate, nouitatis profanitati antiquitatis religionem, itemq. in ipſa uetuſtate, unius ſiue pauciſſimorum temeritati, primum omniũ generalia, ſi qua ſunt, uniuerſalis Concilii decreta praeponant. tunc deinde, ſi minus eſt, ſequantur quod proximum eſt, multorum atque magnorum conſentientes ſibi ſententias magiſtrorum. quibus adiuuante domino fideliter, ſobrie, ſollicite obſeruatis, non magna difficultate noxios quoſque exſurgentium haereticorum deprehendemus errores. Cum ergo his certis argumentis Sanctiſſimi, doctiſſimi, et antiquiſſimi ſcriptoris poſſit error atque inſania haereticorũ noſtri temporis deprehẽdi; his contenti, in traditionibus Patrum ac maiorum noſtrorum, et ueteri antiquaq. Eccleſiae Catholicae diſciplina acquieſcamus, et aliorum omnium inſanias et inepta commenta repudiemus, ac reiiciamus. Verum praeter ea quae ſupra ex Clemente Alexandrino et Vincentio Lirinenſi adduxi, hoc argumentum magni eſt apud me momenti: quod quia ualde generale eſt, et non ad ſolos haereticos, uerum ad Iudaeos, Turcas ac Mahumetanos omnes, de quibus ſupra dixi, pertinet; conſtitui de eo paulo

latius

latius diſputare. Semper populus ille, qui Deo carus habitus eſt, multis ſpiritualibus et internis donis abundauit: certiſſimumq. eſt, apud eos Deum eſſe non poſſe, qui omnibus huiuſmodi bonis carent. nam cum Deus ſpiritus ſit, non uiſibilibus et corporalibus tantum, ſed ſpiritualibus multo magis donis eos, quos caros habet replet et abundare facit: quibus etiam tempore ſuo, et cum illis commodum eſt, temporalia, tamquam res quaſdam parui momenti donat, et, ut ipſe ait, adiicit. Atque ut ab his incipiamus, quae fere omnes qui fide Chriſtiana recte imbuti ſu[illegible] apud ſe experiuntur; quis quaeſo noſtru[illegible] eſt, qui, cum peccata Sacerdoti confitetur, [illegible]n magnam quandam leuationem ſentiat; [illegible]um ſanctiſſimã Euchariſtiam ſumit, nõ ſi[illegible]lari quadam et ſpirituali laetitia perfundat[illegible]? quam laetitiam, et ſenſum internum non dico panis, ſed nulla polenta, et nihil eorum quae creata ſunt, et arte hominum condiuntur efficere umquam poſſet. unde neceſſe eſt omnino, ut in eo cibo maior quaedam uis, nempe ſpiritualis, et diuina adſit: hoc qui ſentit, et intra ſe experitur, quo modo audire uoces inſanorum hominũ poterit,

qui

qui ibi nihil praeter panem eſſe perſuadere conantur? Ego enim, cum in Epiſtolam quandam Pauli Vergerii impii hominis incidiſſem, in qua ille ei, ad quem ſcribebat, hoc uolens ſuadere, dicebat: crede mihi, nihil ibi eſt praeter panem, uix me potui continere, quin exclamarem: Ego tibi inſaniſſime, et impudentiſſime omnium hoc credam; cum in eo diuinam uirtutem, quoties illud ſumo experiar? de te, qui ſemper omni genere uitiorum inquinatus inter nos uixiſti, ob quae poſtea iuſte in haereſim et reprobum ſenſum incidiſti, credo, quod in eo ſacramento, ad quod ſemper indigne et ſine ulla reuerẽtia accedebas, nihil praeter panem ſenſiſti; at fideles, et qui ea qua poſſunt reuerentia ad illud accedunt, longe aliam uim, et diuinam omnino uirtutem in eo ſentiunt, et experiuntur. hos ego uolo ſectari, et hos uolo audire, non te, qui ſemper ad res omnes bonas ſtupidus, ſolum in rebus peſſimis acutus fuiſti. neque uero ſolum per ſacramenta, ſed aliis multis modis gratiam Deus ſuam nobis impartitur, ita ut diuinum auxilium nobis praeſens eſſe ſentiamus. quis enim in angore et moerore maximo poſitus ad Deum cõ-
fidenter,

fidenter, et cum certa ſpe clamauit, et adiutus non eſt? hi enim tantum ab eo non iuuantur, qui ſine fide ac ſpe ad Deum clamant: illis uero, quia fidelis eorum amicus et frater eſt Chriſtus, negare ſe ipſum non poteſt. quos tametſi tu aliquãdo ab illis moleſtiis, in quibus adhuc uerſantur, liberatos nõ uideas, ipſi tamẽ ſpiritu liberi, quia intrinſecus a Deo illuſtrati et fortes effecti ſunt, non ſolum illa facile patiuntur, ſed alia grauiora tormenta pro nomine Chriſti pati deſiderant. Tales martyres, et ueteres illi Chriſtiani fuerunt, quales etiam nunc multos cognoui, non uiros tantum, ſed mulieres et uirgunculas, quae cũ grauiſſimos morborum dolores tolerarent, grauiores etiam pie et cum lacrymis a Deo poſtulabant, ut illis erga ſe, et erga uniuerſam Eccleſiam diuina iuſtitia placaretur. qui de morte, cum illi proximi eſſent, laeti, ad diuinas promiſſiones reſpicientes, loquebantur; quam etiam poſt modum placide, et de omnibus Deo gratias agentes ſubierunt: horum ſimilem ſi quem poſſunt proferre Iudaei, Mahumetani, aut Haeretici proferant: certo enim ſcio in tanta ipſorum multitudine, ne unum quidem reperiri poſſe. quod ſi haere

tici multos adducant, qui pro eorum opinionibus obſtinate mortem obire ſolent, de iis uolo aliquid dicere, et ſigna quaedam indicare, quae ego in eis notaui: ex quibus clare intelligitur in ipſis non ſpiritum Dei, ſed diabolum habitare, et ea omnia quae fortitudinem quandam prae ſe ferunt, in eis efficere. cuius rei cognitionem ſpero Catholicis nō inutilem neque iniucundam futuram. In ſanctis martyribus, ut ex antiquis ſcriptoribus, qui eorum cruciatus et obitum deſcripſerunt, diſcere poſſumus, cum maxima fortitudine hae omnes uirtutes coniunctae apparebant; nempe modeſtia, et caritas quaedam ſingularis etiam erga illos ipſos a quibus cruciabantur, quod ſi quid aliquando acrius contra tyrannos loquebantur, uel ad refutandum diabolum, qui per eos ſaepe loquebatur, hoc faciebant; uel commoti, quod illi crudelitatem, quandam ferarum contra omnes Chriſtianos exercerent, et non eos iuxta leges et edicta a Principibus promulgata, punirent. quam enim iuſta erat illa multorum martyrum reſponſio, etiam iuxta illud ius quo tum Praeſides utebantur, cum eis dicebant: ſi crimen eſt Chriſtianum eſſe, ego

confiteor

confiteor me Chriſtianum, punite iuxſta leges confitentem reum; et ne tormentis abutamini; quibus tum utendum eſt, quando crimen negatur: uos autem ueſtris tormentis id agere uultis, ut quod uos crimen eſſe dicitis, nos diffiteamur. quod ſi crimen non eſt, ut uos ipſi oſtenditis, cur innocentes impune occiditis? atque omnis martyrum cum tyrannis contentio, ſi recte conſideres, ad aliquod horum capitum pertinebat. at iſti homines, cum ad iuſta ſupplicia rapiuntur, ſi recte animaduertas, id enim ego in multis diligenter notaui, nulla modeſtiae, et tranquillitatis animi ſigna oſtendunt. nam alios uidi, ut ſe laetos ad mortem ire oſtentarent, cachino ora diſtendere, et oculos huc et illuc contorquere, quod ſane ab omni Chriſti actione, quem martyres praecipue imitari debent, alieniſſimum eſt. nam Chriſtus ipſe ob mortem triſtis fuit, et filias Hieruſalem reſpiciens fleuit: ac ſane non eſt, niſi inſani hominis, eo tempore cachinari. alii, etiam in ipſo mortis articulo, ubi pro ſe, et pro nobis, ſi recte ſentirent, eis orandum eſſet; non deſinunt nos omnes, et Catholicam Eccleſiam maledictis configere, et mala nobis omnia imprecari.

precari. qua ſane in re non Chriſtum, et ueros martyres, ſed patrem ſuum Diabolum imitantur. alii, tametſi a maledictis, uel ui impediti, uel metu mortis abſtineant, tamen uultu, et toto corpore ferociam et minas oſtentant, uel ſtoliditatem quandam animi prae ſe ferunt. quae omnia a diuino ſpiritu alieniſſima ſunt: quo qui aguntur, eo maxime tempore ſingularem modeſtiam, et erga omnes caritatem, et maximã animi attẽtionem, et aduerſus Deum deuotionem oſtendunt. Verum praeter ea omnia quae ſupra diximus, eſt etiam hoc unum ualde conſiderandum, in quo iſti omnes plane a ueris martyribus diſſentiunt. hoc uero eſt, quod iſti ratione, et doctrina ſacrorum librorum uicti, cum nil habent quod recte poſſint reſpõdere, obſtinatione quadam inſana aiunt, ſic ſe uelle agere, neque uelle ab ea praua perſuaſione recedere. at contra noſtri ueri martyres, qui pro Catholica fide uitam effundebant, ſemper parati erant ad reddendam rationem eius fidei quam ſectabantur, et pro qua mortem obire parati erant. neque umquam Spiritus ſanctus permittebat, eos etiam indoctos a doctiſſimis uiris ſuperari. notum illud

eſt et

eſt et uulgatum de ſanctiſſima uirgine Catherina, quae multis doctiſſimis uiris diuina quadam uirtute fidem et doctrinam Christianam perſuaſit, cum illi eam uellent ipſi diſſuadere. Itaque, ſi diuina aliqua uis in huiuſmodi hominibus eſſet, ratione agerent, neque illam uocem pleniſſimam obſtinationis et pertinaciae tam ſaepe proferrent: mihi ita placet, ſic mori conſtitui. quod cum ſit ab omni diſciplina et modeſtia Chriſtiana alieniſſimum, efficitur, ut huiuſmodi homines non dei ſpiritu regantur, ſed diaboli furore huc illucq. trahantur, uel potius diſcerpantur. uerum dicet aliquis, placent mihi omnia, quae ſupra dixiſti, ſed nō poſſum non mirari in iſtis hominibus, quod multi eorum tam facile, et tam libenter ad mortem currunt, cum natura omnes mortem horreamus: ſed hoc alterū magis miror, quod in ipſo mortis cruciatu, etiam cum pice calida uiui aſperguntur, et ſenſim igni cremantur, quaſi nihil ſentire uidentur: quod ſi mihi, unde haec indolentia ueniat explicaueris, magna me quadam difficultate liberabis. Ego uero libentiſſime, quid de iis rebus intelligam, declarabo. prioris dubitationis, quod accurrunt ipſi ad

mortem

mortem cauſſa eſt obſtinatio, uel leuitas animi, de quibus et eorum indiciis ſupra late tractauimus. nam promptitudinem ad mortem, quam in noſtris martyribus efficiebat conſtantia et uirtus, eam poteſt in iſtis inſanis hominibus efficere obſtinatio. cum enim liberrimus ſit animus noſter, ita hac perſuaſione ſicut illa afficitur. quod ſane ueriſſimum eſt, et ad intelligendum eſt facillimum. illud de indolentia uidetur ad explicandum eſſe difficilius. nam noſtros martyres in illis maximis doloribus fortiſſimos faciebat diuina uirtus et unctio, quae illos intrinſecus mirifice reficiebat: quin etiam multis adfuerunt Angeli, qui eis cruorem, cum uerberabantur abſtergerent, et uulneribus mederentur. at in iſtis, quibus nulla diuina uirtus affulget, quam dicemus ipſorum indolentiae cauſſam eſſe? ſane praeter id quod de obſtinatione dici poteſt; nam qui obſtinato ſunt animo, eundem affectũ in corpus quoque, quantum ipſius natura patitur, transferunt, et corpus quoque ita obdurant, ut quaſi nihil ſentiant: ſed praeter hoc, arbitror illam indolentiã ex ſtupore quodam membrorum, et totius corporis naſci. ſtuporem uero illum

efficere

efficere poteſt diabolus, uenas et ſanguinem refrigerando, ſeq. medium quodam modo inter cutem et ſanguinem interponendo. Itaque cum in cute tantum cruciatus uerſentur, et ad interna, diabolo prohibente, penetrare non poſſint, fit, ut uix dolor aliquis ſentiatur. neque eſt abſurdum uel iniquum, ut haec diabolus, eo maxime tempore, et in iis hominibus, qui ſe ei deuouerunt, efficere poſſit. nam cum eos totos abſorpturus ſit, facile hunc ſtuporē in eorum corpora immittere, et quod uult in eis efficere poteſt. hoc ergo diſcrimen eſt indolentiae illius, quae in noſtris martyribus apparebat; quod haec ex interna unctione et Angelorum miniſterio naſcebatur, cum iſta horum peſſimorum hominum indolentia ex obſtinatione illa animi, et ſtupore quodam a diabolo effecto ac procurato, oriatur. uerum quando ab iis difficultatibus, quae nobis de ſimulata haereticorū fortitudine obiici poterant, emerſimus; ad id quod praecipue tractandum ſuſceperamus, reuertamur. aliquibus enim argumentis docuimus, propterea apud nos eſſe ueram et Catholicam fidem, quia apud nos multi dona interna et ſpiritalia ſentiunt; cum Iu-

daei,

daei, Turcae, Haeretici, atque alii omnes nullum ſenſum habeant rerum ſpiritalium, ſed tantũ rebus mundi huius et terrenis capiatur: et quia in priori illa parte cõmunia quaedam, et quae fere omnes Catholici experiuntur tractauimus, hic perfectiora quaedam, Deo iuuante, exponemus. In eo populo, quem Deus unice dilexit, ſemper multi fuerunt, qui prophetarent, et qui uiſa quaedam caeleſtia uiderent. ita, cum tres pueri, Danielis tertio capite, deſertum eſſe a Deo eum populum uellent demonſtrare, in camino orantes dicebant: non eſt in tempore hoc Princeps, et dux, et Propheta. at contra cum de abundantia Spiritus ſancti, quae in Catholica Eccleſia futura erat Iohel capite ſecundo uaticinaretur, dixit: et erit poſt haec effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, et prophetabunt filii ueſtri et filiae ueſtrae, ſenes ueſtri ſomnia ſomniabunt, et iuuenes ueſtri uiſiones uidebunt: ſed et ſuper ſeruos et ancillas in diebus illis effundã ſpiritum meum. unde cum nũc apud Iudaeos nulli ſint Prophetae, et nulli fuerint totis hiſce mille quingentis annis, et nulli ſint, qui uiſione aliqua caeleſti fruiti ſint, aut fruantur, efficitur,

ut apud eos nulla ueri Dei cognitio, et nulla uera religio poſſit inueniri. Ac ſane ad Iudaeos huius temporis referendum omnino eſt quod de ipſis Dauid Pſal.73. praedixit: ſigna noſtra non uidimus, iam non eſt Propheta, et non eſt nobiſcum qui ſciat uſque quo. ſic enim uertit hunc locum Hieronymus, qui ſenſum ac uerba haebraea aptiſſime interpretans eſt. nã praecipua ſigna quibus oſtẽdebatur populum Iſraeliticum Deo carum eſſe, erant illa duo: quod in eo populo numquam deerant Prophetae, et in eo ſemper erant uiri legis diuinae peritiſſimi. hoc uero tempore, nempe poſt Hieruſalem a Tito euerſam, ad quod tempus haec Dauidis prophetia referenda eſt, ueriſſime Iudaei dicere poſſunt: ſigna noſtra non uidimus, non eſt ultra Propheta, et non eſt nobiſcum qui ſciat uſquequo: ideſt qui uel mediocriter ſacris litteris ſit imbutus. nam illud quod per illas uoces עַד מָה ſignificatur, latine non ſatis apte reddi poteſt. de Turcis uero, quod nullus apud eos Propheta, et nulla uiſio, aut ſpiritalis reuelatio umquã audita ſit, certius eſt, quam quod ab ullo ea de re dubitari poſſit. uerum in Eccleſia Catholica ab illo tempore Apoſtolorum

ſemper ~~ae~~ Prophetae, et uiſiones reuelationesq. multae fuerunt. nam Cyprianus, qui aliquot annis poſt Apoſtolos uixit, multas uiſiones et reuelationes ſibi atque aliis oſtenſas a Deo demonſtrat: in tractatu de mortalitate ait. Cum quidam de collegis et conſacerdotibus noſtris iam infirmitate defeſſus, et de appropinquante morte ſollicitus cōmeatum ſibi precaretur, aſtitit deprecanti et iam pene morienti iuuenis honore et maieſtate uenerabilis, ſtatu celſus et clarus aſpectu, et quem aſſiſtentem ſibi uix poſſet humanus aſpectus oculis carnalibus intueri, niſi quod talem uidere iam poterat de ſaeculo receſſurus. et paulo inferius de ſe ipſo loquens. nobis quoque ipſis minimis et extremis quoties reuelatum eſt, quam frequenter atque manifeſte de Dei dignatione praeceptum eſt, ut conteſtarer aſſidue et publice praedicarem, fratres noſtros non eſſe lugendos accertione Dominica de ſaeculo liberatos etc. Idem libro quarto epiſtola quarta. nā illud oſtenſum eſt, quod ſederet paterfamilias ſedente ſibi ad dexteram iuuene, qui iuuenis anxius et cum quadā indignatione ſubtriſtis maxillam manu tenens moeſto uultu ſedebat:

alius

alius uero in ſiniſtra parte conſiſtens rete porta bat, quod ſe mittere ut circunſtátem populum caperet minabatur, et cum miraretur quid hoc eſſet ille qui uidit, dictum eſt ei: iuuenem qui ad dexteram ſic ſederet contriſtari et dolere, quod praecepta ſua non obſeruarentur: illum uero in ſiniſtra exultare, quod ſibi daretur occaſio, ut a patre familias poteſtatem ſumeret ſaeuiendi. hoc prius longe oſtenſum eſt, quam tempeſtas uaſtitatis huius oriretur, et uidemus impletum quod fuerat oſtenſum, ut dum Domini praecepta contemnimus, dum datae legis mandata ſalutaria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet, minus armatos et ad repugnandum minus cautos iactu retis operiret. quin etiam ipſe Cyprianus, ſicut ex epiſtola nona libri quarti colligi poteſt, nihil magni momenti ſine diuina reuelatione uel inſpiratione faciebat, quod ipſe clare profitetur, et iis, quibus etiam tum hae reuelationes ridiculae uidebantur, reſpondet; quae reſponſio ad eos commode referri poteſt, qui noſtro hoc tempore omnes huiuſmodi diuinas reuelationes derident. communicationis tuae poterimus habere rationem manente tamen apud

nos diuinae cēſurae reſpectu et metu; ut prius dominum meum conſulam, an tibi pacem dari, et te ad communicationem eccleſiae ſuae admitti ſua oſtenſione et admonitione permittat. memini enim quid iam mihi ſit oſtenſum, immo quid ſeruo obſequēti et timenti de Dominica et diuina auctoritate praeceptum, qui inter cetera quae oſtendere et reuelare dignatus eſt, et hoc addidit: itaque qui Chriſto non credit ſacerdotem facienti, poſteà credere incipiet ſacerdotem uindicanti. quamquam ſciam ſomnia ridicula et uiſiones ineptas quibuſdam uideri, ſed utiq. illis qui malunt contra ſacerdotes credere, quam ſacerdoti. ſed nihil mirum, quando de Ioſeph fratres ſui dixerunt, ecce ſominator ille uenit: nunc ergo uenite occidamus illum, et ſomniator poſteà quod ſomniauerat conſecutus ſit, et occiſores ac uenditores confuſi ſint, ut qui uerbis prius non credidiſſent, factis poſtmodum crederent. Gregorius quoque Papa Sanctiſſimus lib. 2. epiſtola ſeptima Paulino ſcribens clare oſtendit, ſe magnas res, praecipue quae ad electionem et confirmationem Epiſcoporū pertinebant, ſine diuina reuelatione nó egiſſe. Quo uſque uero de

iis quae a nobis praedicti filii noſtri fienda poſtulant reuelãte domino deliberare poſſimus; clericos etc. Idem epiſtola duodecima eidẽ Paulino ſcribens. Sed quia utilitates eius ſumma cupio firmitate uallare, diuturna de hoc neceſſe habeo deliberatione tractare, ut eam digna poſſim ordinatione Chriſto reuelante diſponere. huc quoque pertinet, quod Ambroſius ſermone ſexto in pſal.118. ait. Anima iuſti ſponſa eſt uerbi, haec ſi deſideret, ſi cupiat, ſi oret, et oret aſſidue, et oret ſine ulla diſceptatione, et tota intendat in uerbum, ſubito uocem ſibi uidetur eius audire quem non uidet, et intimo ſenſu odorem diuinitatis eius agnoſcit; quod patiuntur plerumque qui bene credunt: replentur ſubito nares animae ſpiritali gratia, et ſentit ſibi praeſentiae eius flatum aſpirare quem quaerit, et dicit: ecce iſte quem requiro, ipſe eſt quem deſidero. nonne cum aliquid de ſcripturis cogitamus, et explanationẽ eius inuenire nõ poſſumus, dum dubitamus, dum quaerimus, ſubito nobis quaſi ſuper montes altiſſima dogmata uidetur aſcendere: dein quaſi ſuper colles apparet nobis, illuminat mentem, et infundit ſenſibus quod inueniri poſſe

difficile

difficile uidebatur. et ſermone ſeptimo eiuſdẽ pſal. nec quidquam eſt aliud quod uiuere faciat rationalem animam, quam alloquium Dei. ſicut enim augetur ſermo Dei in anima noſtra, dum ſuſcipitur, dum intelligitur, dum comprehenditur: ita etiam uita eius augetur. et quem ad modum e contrario alloquium Dei deficit in anima noſtra, ita et incurrit eius uita defectum. et Hieronymus, nonne ipſe Dominum ſibi locutum ſaepe fuiſſe confitetur, cum ad Euſtochium ſcribens ait: memini me clamantem diem crebro iunxiſſe cum nocte, nec prius a pectoris ceſſaſſe uerberibus, quam rediret domino increpãte tranquillitas. et paulo inferius: et ut ipſe mihi teſtis eſt Dominus poſt multas lacrymas, poſt caelo oculos inhaerentes, nonnumquam uidebar mihi intereſſe agminibus Angelorũ, et laetus gaudensq. cantabam: poſt te in odore unguẽtorum tuorum curremus. Idem Hieronymus in ſermone de aſſumptione beatiſſimae Dei genetricis, uiſionem quoque quandam Paulae refert, de qua eam uehementer laudat. Ad praeſepe quoque o Paula te teſte, nato puero inter crepundia noui partus, et querellas neſcii ploratus pro feſcenninis

ſcenninis gloria in excelſis Deo et in terra pax hominibus bonae uoluntatis multitudinem Angelorum cantantium audiuiſti, et radiantem ſtellam uidiſti: paſtoribus inſuper euange lizantibus credidiſti. Magos praeterea tria deferentes munera in uiſione beatis oculis conſpexiſti; ipſa eadem munera bene intelligendo uotis omnibus fide Deo obtuliſti. nam et cum eiſdem Magis Deum puerum in praeſepio ado raſti. quis ergo contra hos tot et tam graues au ctores amplius dicere audebit uiſiones et reue lationes omnes ſomnia et nugas eſſe? uerum cum urgentur his ſanctorum ſententiis hi, qui haſce omnes temere damnant, eo confugiunt, ut dicāt, ea tempore illo ſanctorū fuiſſe: quaſi uero umquam Eccleſia ſine ſanctis uiris fuerit. ue enim nobis peccatoribus et imperfectis, niſi huiuſmodi uiri perfectiſſimi eſſent in Eccleſia, qui ſe auſu quodam pietatis pleniſſimo au dent Deo pro nobis et pro tota Eccleſia opponere. et quid, ſancti illi ueteres, num homines nō fuerunt? ſane fuerunt, ut de Helia Iacobus ait: quid ergo effecit ut Helias, Paulus, Cyprianus, Ambroſius, et Hieronymus, de quibus ſupra locuti ſumus, atque alii omnes ſancti

tam

tam magnas res et tam praeclaras effecerint? quid? diuina gratia, cuius ipſi cooperatores fuerunt, ne in ipſis ea ipſa gratia, ut ait Apoſtolus, uacua eſſet. ergo cũ idem ſit nunc Deus qui tũ fuit, et is ſit nunc ſtatus Eccleſiae, ut in ea uiri ſanctiſſimi ualde neceſſarii ſint, ſane opportunum tempus eſt, in quo a Deo maxima dona ſperare poſſimus; ſi pie, ſi reuerenter ea poſtulare atque etiam recipere, eisq. utiliter uti nouerimus. ſed dicet aliquis, quid? ita ne putas ſuſcipiendos eſſe eos qui uiſiones et reuelationes dicũtur habere, ut omnibus ſit credendum? minime uero, immo hac in re opto maximam diligentiam adhiberi, ut probentur ſpiritus, ſi ex Deo ſint. ſcio enim etiam olim pro uno atque altero Propheta uerace multos pſeudo prophetas extitiſſe, quod ex iis quae libro tertio Regum cap.22. habetur, ut alia loca omittam, clare poteſt intelligi; ſed non propterea tum omnis Prophetia et omnis uiſio reiecta fuit a piis hominibus, quod multo minus nunc faciendum eſt. ac ſane his non multum credendum eſt, qui paſſim compendii alicuius cauſſa ſuas quaſdam uiſiones et reuelationes uenditant. nam hi, quibus uere diuinas haſce res da-
tur

tur uidere, eas quantum poſſunt occultant, ne que alicui narrant, niſi ſperent eum, cui earum aliquid exponunt, utilitatem aliquam ſpiritalem inde eſſe perceptur um. huiuſmodi uiſiones ac reuelationes multae Patrum noſtrorum memoria oſtenſae fuerũt Brigittae uiduae ſanctiſſimae, et Catharinae Senenſi uirgini admiratione digniſſimae. nam uirgo, et monaſticis uotis addicta legationibus apud maximos Principes functa eſt, quae etiam Auinione Romam Pontificem Maximum Gregoriũ undecimum reuocauit, et ita pro utilitate omnium laborabat, ut curam omnium ſuſcepiſſe uideretur. quae etiam tot libros edidit, et res alias maximas confecit, idq. intra triginta tres annos quos tantum uixit, ut mihi cum de ea cogito, multo magis ipſius uirtutem, quam Alexandri uictorias cogar admirari. uerũ hac etiã noſtra aetate nõ defuerunt, neque deſunt, qui huiuſmodi donis Spiritus ſancti fruũtur. nam et Valentiae, et in Patria mea ego aliquos cognoui, quibus uere Dominus huiuſmodi dona impartiebatur: quorum familiaritas et tum, et ſemper, cum eorũ uitam et praecepta, quae ab ipſis accepi recordor, eſt mihi iucũdiſſima. hi enim

ſunt ueri amici, qui et praeſentes et abſentes, et
uiui ac mortui proſunt. tales in Italia, et Romae
non deſunt, utinam maior ipſorum ratio
haberetur. ac de quodam, qui etiam ſuperſtes
eſt, uolo rem quandam admiratione digniſſimam
explicare, qua una clare intelligi poteſt,
quae ipſi in animum influunt, a Deo uenire.
Hic uir nullam artem illarum, quae inter doctos
pro magnis habentur, didicit; immo uix
fuit umquam grammatices praeceptis imbutus;
ingenio tamen et iudicio ualuit ſemper, et
nunc plurimũ ualet. quibus donis ornatus ante
triginta annos coepit Deo ſeruire, quod ab
eo tempore ſemper diligentiſſime et exactiſſime
praeſtitit. ac ſuperioribus annis uenit ei in
mentem, ut ea quae orando meditabatur, deſcriberet;
quod etiã fecit, easq. ſuas meditationes
multis doctis uiris oſtendit; qui ei dixerũt
illa uera eſſe, eademq. in libris Sanctorum Patrum
reperiri. quod ipſe, cum primum audiuit,
ſuae imperitiae ſibi conſcius, ut ipſe mihi retulit,
admirari coepit; dein humiliter ac pie ad
Dominũ cõuerſus magnis uocibus clamabat:
tuum hoc eſt Domine, nõ meum, qui numquã
hoſce libros Sanctorum uidi. et cum, quid de
illis

illis meditationibus faceret, Dominũm ſaepe conſuleret, ab eo fuit admonitus, eas, non ut ſuas, ſed ut domini dona non eſſe negligendá: ac propterea rogandos ſibi eſſe doctos uiros, quorum familiaritate utebatur, ut ei loca indicaret, in quibus ipſius ſcripta cum ſanctis Patribus cõcordabant. quod factum eſt, et editi fuerunt ab eo multi libelli optimi, et Eccleſiae Dei ualde utiles; qui etiá plures, et utiliores habet paratos. age nunc, dic quaeſo mihi, quis negare poteſt, hoc argumẽto clare demonſtrari, eas meditationes a Spiritu ſancto in illius animũ fluxiſſe, et eius uitam Deo eſſe gratiſſimá, cuius mentẽ Diuini Spiritus radii tam ſaepe illuſtrant? de qua ego re plane nihil dubito, qui non hanc ſolum, ſed multas alias praeclaras ipſius actiones probe cognitas habeo. cuius uitam, et egregia ac uere Chriſtiani uiri facta, ſi ego ei ſuperſtes fuero, libentius quam Caeſarum, atque aliorum quorumuis maximorum Principum deſcribam. uerum ut hanc tractationem abſoluam, iis omnibus, quae ſupra de diuinis reuelationibus, tam ex ſacris libris, quá ex ueteribus, et nouis ſanctis uiris dixi, hoc unum uolo demonſtrare, ut quia haec Spiri-

tus ſancti dona in multis noſtrorum hominum reperiuntur, cum nulla neque apud Iudaeos, neque apud Mahumetanos, aut haereticos eorum ueſtigia appareant, inde efficiatur, noſtram Eccleſiam Deo caram et electam eſſe; reliquos uero eſſe hominum perditorum, et quidem culpa ſua pereuntium, conuentus tantum quoſdam, et congregationes.

DE RATIONE HABENDI CONCILIA PROVINCIALIA AC DIOECESANA,

ET DE HIS QVAE IN IPSIS PRAECIPVE SVNT TRACTANDA.

REVOCAVIT Synodus Tridentina Concilia Prouincialia, quae negligentia quadam omnium eccleſiaſticorum ordinum, cum nullo Canone Concilii, nec decreto Romanorum Pontificum umquam prohibita fuerint, in deſuetudinem abierant; ita ut iuſtiſſime de tanta negligentia boni omnes quererentur: quod iam ſuo tempore eueniſſe Ioannes Andreas, Hoſtienſis, Gulielmus Durantes, et Abbas Panormitanus Iuriſconſulti praeſtantiſſimi, ac uiri optimi grauiter dolebant. uerum ſicut accidere ſolet in rebus uetuſtate collapſis, ut facilius totae perdantur, quam quod refici commode poſſint; ſic de hac uerendum eſt, ne ob antiqui, et legitimi uſus harum Synodorum ignorationem, ex ipſis nunc Eccleſia Catholica potius aliquid detrimenti, quam utilitatis accipiat.

quod

quod ne eueniat, conſtitui hac tractatione omnia, quae ex canonibus et antiquis ſcriptoribus collegi, annotare. nam quod olim ex hiſce cõciliis magnae utilitates in Eccleſiam redundarent, ex eo apparet, quod Licinius Orientis Imperator, ut progreſſum Eccleſiae Catholicae impediret, haec concilia prohibuit, ſicut de eo in uita Conſtantini Euſebius ſcribit. Cum neque ita proficeret, neque reperiſſet, quam ob rem queri poſſet, legem promulgauit; ea uetabat, Epiſcopos inter ſe agere promiſcue, uel ad uicinam Eccleſiam uenire: Concilia tollebat, ac ſi quid publice conduceret, hac de re omnẽ conſiderationem auferebat. et paulo poſt: qui enim illa magni momẽti conſilia, niſi conuentu conſtitui queant? quare, ſi iuxta antiquam conſuetudinem haec concilia haberi contigerit, erunt omnino utiliſſima Reipublic. Chriſtianae. Videamus ergo nunc, quaenam cauſſae olim praecipue in hiſce conciliis, tractabantur; nam alia poſtea exponemus. in hiſce conciliis ea praecipue tractabantur, et nunc etiam tractari debent, quae ad corrigendã uitia Epiſcoporum pertinent, maxime, ſi quid cõtra decreta generalium Conciliorum, aut ius commune

In Concilijs Prouincialibus qd olim tractabat, et nunc tractari debet.

ab eis fiat. nam alii, ſi deliquerint, facile ab ipſo Epiſcopo per ſe, uel in Synodo dioeceſana punientur. uerum Epiſcoporum cauſſae non facile alibi, quam in Prouinciali concilio tractari poſſunt. cumq. olim Epiſcopus non poſſet presbyterum aut diaconum, niſi cum conſilio ſynodi dioeceſanae deponere, ut eſt in Concilio Iſpalenſi ſecũdo Can. ſexto: ſic aequum nõ erat, ut Metropolitanus grauius aliquid contra Epiſcopum ſine conſilio totius prouinciae ſtatueret. neque mihi aliquis dicat, hoc praeclare dici, ſed fieri nullo modo poſſe; cum Epiſcoporum tantum futurum ſit hoc Prouinciale concilium, qui ſibi mutuo ignoſcent; uerum enim hoc nõ eſt, quod Epiſcoporum tantum ſint haec concilia: nam ſi iuxſta antiquam conſuetudinem fient, multo plures in eis habentes etiam uocem deciſiuam, ut hoc uerbo utar, aderunt presbyteri tantum, quam Epiſcopi: de quo infra latius diſputabo. hoc uero quod dixi, in his cõciliis praecipue tractandas eſſe querellas et accuſationes contra Epiſcopos, et alios ordines eccleſiaſticos docet Leo primus ep. 82. ad Anaſtaſium Theſſalonicẽſem ſcribens. De conciliis autem Epiſcopalibus nõ

aliud

aliud indicimus, quam quod Sancti Patres ſalubriter ordinauerunt: ut ſcilicet bini conuentus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querellis quae inter diuerſos Eccleſiae ordines naſci aſſolent, iudicetur; ac ſi forte inter ipſos qui praeſunt de maioribus peccatis naſcitur, quod abſit, cauſſa quae prouinciali examine nequeat diffiniri; fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit inſtruere, ut ſi coram poſitis partibus nec tuo fuerit res ſopita iudicio, ad noſtram cognitionem, quidquid illud eſt, transferatur. uides in hiſce conciliis praecipue querellas et accuſationes contra Epiſcopos, et alios ordines eccleſiaſticos uoluiſſe tractari? maiora tamen crimina ab Epiſcopo Theſſalonicenſi, qui Sedis Apoſtolicae delegatus Viſitator Orientis erat, ut ex ea epiſtola apparet, uoluit iudicari: quae ſi ab ipſo commode finiri non poterant, ad Sedem Apoſtolicam iuſſit referri. atque in hac quidem extrema parte cōcordant, quae a Leone hoc in Canone dicuntur, cum iis quae in capite quinto Seſſione 23. Concilii Tridentini conſtituta ſunt. hoc etiā quod in hiſce conciliis querellae omnes non ſolum contra

Epiſcopos,

Epiſcopos, uerum etiam contra quoſlibet potentes uiros, tam eccleſiaſticos, quam laicos tractari conſueuerint, demonſtratur Canone tertio Concilii quarti Toletani: ex quo canone multa, quae ad haec Concilia Prouincialia pertineant, peti poſſunt. Omnes autem, ait, qui cauſſas aduerſus Epiſcopos, ac iudices, ac potentes, aut contra quoſlibet alios habere noſcuntur, ad idem concilium concurrant, ut quaecumque examine Synodali a quibuſlibet praue uſurpata inueniuntur, Regii executoris inſtantia iuſtiſſime his, quibus iura ſunt, reformētur; ita, ut pro compellendis iudicibus, uel ſaecularibus uiris, ad Synodū, Metropolitani ſtudio, quidam executor a Principe poſtuletur. ex quibus uerbis apparet, non ſolum de accuſationibus, quae contra Epiſcopos, et alios iudices eccleſiaſticos obiiciebātur, ſed de illis, quae contra iudices ſaeculares, et potentes, ac principes uiros adducebantur, fuiſſe tractatum, et iudicatum in Synodo Prouinciali. in qua aderat Regius executor, qui ea, quae ſtatuta erant contra ſaeculares, exequeretur. quibus iudiciis eccleſiaſticis nihil ſane Regiae iuriſdictioni detrahebatur, cum omnis executio per Regios exe-

cutores fieret: immo Rex ipſe magna moleſtia leuabatur, cum res grauiſſimae Regni ſui, ex quibus aliquando tumultus populorũ oriuntur, optimorum ac prudentiſſimorum conſilio, quales Epiſcopi illi erant, tractarentur. nam quantam curam conſeruandae Regiae iuriſdictionis optimi illi Epiſcopi habuerint, ex decreto ultimo illius quartae Synodi apparet. in quo grauiſſime contra quoſcumque Regiam auctoritatem negligentes ſtatuitur. itaque, ubi tales eſſent Epiſcopi, non male ſuo Regno conſuleret Rex, ſi hoc eis iudicium contra praecipuos iudices ſaeculares, maxime cum nimium ab illis pauperes uexantur, permitteret. nam quod pauperum querellas negligere non poſſint Epiſcopi, aperte Can. 31. eiuſdẽ quarti Toletani concilii ſtatuitur. Epiſcopi in protegendis populis ac defendendis impoſitam a Deo ſibi curam non ambigant: ideoq. dum cõſpiciunt iudices, ac potentes pauperum oppreſſores exiſtere, prius eos ſacerdotali admonitione redarguant: et ſi contempſerint emendari, eorum inſolentiam Regis auribus intiment, ut quos ſacerdotalis admonitio nõ flectit ad iuſtitiã, regalis poteſtas ab improbitate coerceat. ſi quis autem

autem Epiſcoporum id neglexerit, Concilio erit reus. Idem etiam in Carthaginenſi quinto, Canone nono, et Africano, Can. 42. Conciliis habetur. itaque hanc cauſſam uexationis pauperũ negligere Epiſcopi nullo pacto poſſunt. prudenter tamen illis, maxime hiſce temporibus, agendum eſt, ut de omnibus Regem certiorem faciant, et ab eo remedium adhiberi poſtulent. ad illud autem, quod controuerſiae et accuſationes, non leuiores illae quidem, ſed neque huiuſmodi, ut ad fidem, uel ad depoſitionem Epiſcoporum pertinerent, in his conciliis tractatae ſint, faciũt fere omnes canones, quos Gratianus in diſtinctionem decimam et octauam retulit. nam ſi grauiores illae res in his agẽdae erant, neceſſaria ſemper fuit Romani Pontificis, uel Nuncii ipſius auctoritas. ſic enim Symmachus ſcribit. Concilia ſacerdotum eccleſiaſticis legibus quotannis decreta per prouincias, quia praeſentiam Papae non habent, ualetudinem perdiderunt. legiſtis inſaniſſimi, aliquando in illis prouinciis maioribus praeter Apoſtolici apicis ſanctionem aliquid conſtitutum; et nõ de maioribus negotiis ad conſultationem, ſi quid occurreret, praefatae Se-

dis arbitrio fuiſſe reſeruatum? pro qua re Sanctiſſimi Romani Pontifices ſumma contentione cum multis Patriarchis, praecipue Conſtantinopolitanis, quibus Imperatores ualde fauebant, conſtantiſſime egerunt. propterea Iulius primus, quamuis Synodus Athanaſium cōdemnaſſet, quia ſine praeſentia Legati Apoſtolici hoc factum erat, et appellatio ad Sedem Apoſtolicam recepta a Synodo non erat, damnationē illam nullam eſſe iudicauit. idem fecit Leo primus in cauſſa Flauiani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, quem Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus in Concilio Epheſino ſecundo condemnauerat. nam cum Legati Apoſtolici repugnaſſent, quidquid actum fuit, omni robore caruit. eadem contentione Nicolaus primus contra Michaelem Imperatorem grauiſſime uſus eſt, ut ex Nicolai doctiſſimis epiſtolis apparet. conſtat ergo ex his, quaenam ſint in Conciliis Prouincialibus tractancta: nempe controuerſiae inter eccleſiaſticos, et illae quidē non leues, ſed maioris momenti; et accuſationes contra Epiſcopos, et alios iudices eccleſiaſticos, maxime, ſi auctoritas Sedis Apoſtolicae intercedat, atque etiā ſaeculares, ſi

id Regi,

id Regi, exemplo Priſcorum Hiſpaniae Regum placuerit. uerum, quia ob deſuetudinem horum conciliorum, in aliqua prouincia poſſent non parua incommoda oriri, ualde mihi probaretur, ſi ad praecipuas prouincias, quo tempore haec Prouincialia Concilia habebuntur, aliqui docti uiri mitterentur, ut in eis Sedis Apoſtolicae nomine intereſſent, ne quid contra antiquam Eccleſiae conſuetudinem, et Sedis Apoſtolicae auctoritatem agatur. nam in illis conciliis prouincialibus, in quibus non adfuerant Sedis Apoſtolicae Nuncii, teſtatur Higmarus Archiepiſcopus Remorum, qui fere ante quingentos annos uixit, eos Patres miſiſſe ſua decreta ad Romanum Pontificem, ut ab eo confirmarentur. ſic enim, loquens de illis conciliis Africanis, in quibus Auguſtinus interfuit, ait. Horum autem conciliorum ſtatuta ab Africanis Patribus Romano Pontifici ad confirmandum directa leguntur, quae etiam adhuc in romanis exemplaribus, in duobus breuiariis collecta reperiuntur: unum cum ſubſcriptione 213. Epiſcoporum, et alterum cum ſubſcriptione 214. Epiſcoporum, utrumque autem cum Apoſtolica auctoritate firmatum. eadem

dem etiam breuiaria Beatus Hadrianus Papa praedictis cum conciliis orientalibus Carolo Imperatori Romae ad diſpoſitionem occidentalium Eccleſiarum tradidiſſe legitur. ergo et nos eadem pro authenticis et recipere, & obſeruare debemus, quae Apoſtolica auctoritate firmata, Eccleſiisq. obſeruanda directa indubitanter percepimus. quod igitur hoc in loco Higmarus teſtatum reliquit, nempe tradita fuiſſe illa concilia Africana Carolo, ut eadem cõſuetudo in Eccleſiis Occidentis ſeruaretur; nunc maxime inter Catholicos ualere debet: ut reuerentia illa maxima, qua ſanctiſſimi Patres in Synodo Tridentina ergà Sedem Apoſtolicam uſi ſunt, omni tempore eidem Sanctae Sedi exhibeatur. His poſitis, nunc ad quem ſpectet conuocare Prouinciale concilium, expo-namus. Ad Metropolitanum proprie ſpectare Prouincialis concilii conuocationem clare in multis antiquis canonibus cõtinentur ca. ſi Epiſcopus Metropolitanus cum ſequen. decima oct. diſtin. cum multis aliis. hoc uero quod de Epiſcopo ſeniore, Metropolitano legitime impedito, in decreto Synodi Tridentinae ſtatuitur, aequiſſimum eſt; illud tamen in nullo

Ad quē ſpectet cõuocare Prouī-ciale Concilium.

antiquo

antiquo canone inueni. quod ſi Metropolitanus ſocordia, uel nequitia quadam, hanc conuocatioñe concilii negligeret, iudico, hoc quoque caſu poſſe Epiſcopum ſeniorem coepiſcopos conuocare: nam, ad tollendam huiuſmodi ſocordiam, plebi etiam quodam modo hoc permittendum eſſe in Sardicenſi Concilio ſtatuitur. Si forte in prouincia unum tãtum contigerit remanere Epiſcopum, ſuperſtes Epiſcopus conuocet Epiſcopos uicinae prouinciae, & cum eis ordinet, comprouinciales ſibi Epiſcopos. quod ſi facere neglexerit, populi conueniant Epiſcopos prouinciae uicinae, & illi prius commoneant Epiſcopum, qui in eadem prouincia commoratur etc. uel ſine ulla cuiuſpiam uocatione, conſueto tempore, ipſi per ſe Epiſcopi conuenire poſſunt, ut eſt expreſſum in cap. placuit 2. decima oct. diſtin. Primum uero concilium, quod habendum erit, in decreto ante citato Concilii Tridentini praecipitur intra annum haberi. in quo ea omnia conſtituenda erunt, quae ad rectam executionem decretorum huius Concilii pertinebunt. neque parum erit, ſi haec in eo cõcilio recte conſtituentur. deinde ſtatuitur, ut ſaltem quolibet trien-

nio

nio concilia huiuſmodi habeantur. Olim, cum prouinciae non adeo latae erant, bis ſingulis annis concilia huiuſmodi habebantur, ut eſt in ca. de conciliis et ca. propter eccleſias cum multis aliis decima oct. diſtin. poſtmodum in ſexta Synodo conſtitutum fuit, ut ſemel in anno haberentur, quod retulit et probauit ſeptima Synodus, ut eſt in ca. quoniam quidem eadem diſt. quod tẽpus in hoc decreto ad triennium productum fuit, maxime ob Hiſpanos, qui latiſſimas habent dioeceſes, et prouincias: apud quos ſatis erit, ſi ſingulis tribus annis, huiuſmodi concilia habeantur. aliis tamen non eſt ſublata facultas frequentius, et ſingulis annis, ſi ita Metropolitano uidebitur, cõueniendi. de tempore ſtatuitur in eo decreto, ut poſt octauam Paſchae reſurrectionis incipiãt a ſuis eccleſiis recedere hi, quos in Synodo intereſſe oportebit; ita, ut omnes Kal. Maii praeſto ſint in Metropolitana Eccleſia, uel in loco, ubi Synodus habenda erit. quod ſi Cathedrales fuerint ualde remotae a Metropolitana, ſicut eſt in aliquibus prouinciis Hiſpaniae, omnino ad xv. Kal. Iunii adſint omnes parati, ſicut in tertio Canone Concilii Toletani ſtatuitur; ut ſaltem

ab eo

ab eo die concilium haberi incipiat. Satis autem erit, ſi in eo per menſem manſerint, ut cõmode domum, antequam aeſtus ſit moleſtior, redire poſſint. quod, ſi diligenter egerint, ut in eo canone praecipitur, multa negotia poterũt optime expediri. nam hora diei prima ante ſolis ortum uult ianuas templi eſſe obſeratas, et in eo omnia eſſe parata, ut ſtatim orto ſole Epiſcopi, et alii ſacerdotes conuenire poſſint. uerum hoc tempus, ut Synodus poſt octauam Paſchae conuocetur, non ita ſtatuitur, quaſi nihil in hoc mutari poſſit. nam in aliqua prouincia poterit eſſe aliud tempus ad hanc rem efficiendam commodius, ſicut fortaſſe erit ante quadrageſimam, ut refertur in Niceno Concilio definitum in cap. habeatur 18. diſt. uel menſe Octobris, ut eſt in cap. propter eccleſiaſticas. 1. uer. ſecundum uero, eadem diſtin. Propterea permittitur hoc decreto, ut eo tempore Synodus habeatur, quod cõmodius ei prouinciae fuerit. His poſitis, reſtat grauis quaedam, ac difficilis quaeſtio, nempe, quinam ſint, quos de iure, uel antiqua conſuetudine, praeter Epiſcopos, prouincialibus conciliis intereſſe oporteat; de qua fuit Tridenti multum inter Patres

diſputatum; ſed ob temporis breuitatem nihil de ea potuit conſtitui. unde inter eos conuenit, ut uerba quaedam generalia in eo decreto apponerentur, ne cui ius ſuum auferretur, et ut daretur occaſio doctis uiris eam rem ex ueterum monumentis eliciendi. quare, cum poſt eam Tridentinam diſputationem, diligenter perquiſiuerim, ſi quid in antiquis ſcriptoribus, quod ad hanc dubitationem ſpectaret, inuenire poſſem, aliqua notaui, quae animum meum ad certam ſententiam adduxerunt, et ea dubitatione liberarunt. antiqua ergo haec, ex quibus, id quod in hac re agendum eſt, iudico uere colligi, prius tractabo: nec tamen ea, quae a noſtris doctoribus de ea re dicuntur, praetermittam. Primum in eo Canone tertio quarti Concilii Toletani, haec uerba ſunt diligenter animaduertenda. Et cōuenientes omnes Epiſcopi pariter introeant, et ſecundum ordinationis ſuae tempora reſideant. poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum, atque cōſeſſum, uocentur deinde presbyteri, quos cauſſa probauerit introire: nullus ſe interim ingerat diaconorū. quo in loco uerba illa: presbyteri, quos cauſſa probauerit introire, ualde notanda ſunt. nam ut inter-

ut intereſſerit ſimpliciter, uel ut aliquid peterent; quilibet presbyteri et diacones admittebantur, ut ex multis conciliis inferius demonſtrabo. unde, cum hic de his presbyteris loquatur, quos cauſſa probat deinceps poſt Epiſcopos introire, et diacones omnes excludat; de electiſſimis, et probatiſſimis quibuſdam presbyteris tractat, quorum ratio magna poſt Epiſcopos habita fuit in huiuſmodi conciliis. dicet aliquis, uerum hoc eſt, ſed ex illis uerbis nõ docetur, eos presbyteros uocem habuiſſe deciſiuam: fateor, uerum id ex his, quae ſubiiciam, demonſtrabo. in Tarraconẽſi Concilio, quod fuit prouinciale, cum pauciores presbyteri adfuiſſent, canone ultimo ſtatuitur. Epiſtolae tales per fratres a Metropolitano ſunt dirigẽdae, ut non ſolum e Cathedralis Eccleſiae presbyteris, uerum etiam de dioeceſanis ad concilium trahant. in quo concilio Nebridius Sacerdos Eccleſiae Egarenſis, non tamquam procurator alicuius Epiſcopi, ſed nomine proprio ſubſcripſit. quod ſi quis uelit, ex hoc nõ doceri illum Nebridium habuiſſe uocem deciſiuam; dico: de Epiſcopis nihil amplius conſtare, niſi quod uocabantur ad concilium, et decretis ipſius

L 2 ſub-

ſubſcribebant; idem cum reperiatur in preſbyteris, non uideo, cur non idem de ipſis iudicandum ſit, ac de Epiſcopis: nam in Synodis uniuerſalibus, ſiue eas octo, tantum uniuerſales appellemus, ſiue inter eas aliquot Toletanas, et Aurelianenſes Epiſcoporum plurium prouinciarũ numeremus; numquam aliquis presbyter ſubſcribit, quod ego ualde accurate in ſingulis conſideraui, niſi idem ſit alicuius Epiſcopi procurator. in prouincialibus tamen presbyteri nomine proprio ſubſcribunt: ut in Tarraconenſi, quam ſupra adduxi, in Turonica ſecunda, et prima Pariſienſi apparet. In decima etiam Toletana Synodo, ex quibuſdam uerbis, quae ſunt in decreto pro Potamio Epiſcopo, apparet, illam cauſſam, quia in ea de grauiſſimo crimine Epiſcopi agebatur, a ſolis Epiſcopis fuiſſe tractatá. Tunc ſolitarie, ſecretimque, tantum adunatis Põtificibus Dei, praedictum Epiſcopum adeſſe coram nobis fecimus etc. ex quo colligitur, alias cauſſas, non a ſolis Epiſcopis, ſed cõmuni conſilio Epiſcoporum, et preſbyterorum fuiſſe tractatas. ac ſane, ut arbitror, olim non ea erat diſtinctio inter uocem cõſultiuam, et deciſiuam, quam noſtri homines nimium

mium ſubtiles accuratiſſime tractauerunt; ſed re probatiſſimorũ quorumcumque, tam Epiſcoporum, quã aliorum ſacerdotũ conſultatione tractata, id ab omnibus ſtatuebatur, quod pluribus, ſapientioribusq. fuerat probatum. nam Diuus Hieronymus, cum uellet oſtendere, multum eſſe presbyteris tributum, et Gallorum Epiſcoporum ſuperbiam uellet retundere, qui nihil presbyteris permittentes, ſibi omnia arrogabant, in epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem, ſic ait. Presbyteri uero ab initio iudices negotiorum eſſe mandati ſunt, presbyteri ſacerdotum intereſſe debent conciliis. quoniam, et ipſi presbyteri, ut legimus, Epiſcopi nominãtur. quo in loco, tametſi Hieronymus illud uerbum intereſſe conciliis uſurpauerit, tamen ex tota ipſa ſententia apparet, eum, non ad cõſulendum tantum, uoluiſſe presbyteros intereſſe, ſed ad conſtituendũ, et diffiniendum. nam prius dixit, presbyteros fuiſſe negotiorũ iudices, et poſt ait: presbyteros Epiſcopos uocatos; ex quibus uult oſtendere, in conciliis idem eſſe iudicium, et idem ſuffragium Epiſcoporum, et presbyterorum. nam, ſi uim non haberet ſententiae diffinitiuae, inane eſſet eorum ſuffragium.

ſuffragium. uerum hoc expreſſum uerbũ diffiniendi probatis ſacerdotibus attribuit Anſelmus Lucenſis antiquiſſimus decretorum collector in breuiſſima quadã annotatione, quam de modo habendi prouinciale concilium ſuo decreto adiunxit; in qua hoc ait. Sacerdotes, quos Metropolitanus eligebat, in Synodo prouinciali et iudicare, et diffinire poterant. Idem teſtatur Iſidorus in libello quodam de ordine concilii, duobus in locis: primum his uerbis. Et corona facta de Sedibus Epiſcoporum, preſbyteri à tergo eorum reſideant, quos tamen ſeſſuros ſecum Metropolitanus elegerit; qui utique, et cum eo iudicare aliquid, et diffinire poſſint. et paulo poſt. ſicq. omnes, qui de religioſis in retroactis diebus pro ſpiritali inſtructione interfuerant in concilio, foris egrediantur; reſidentibus aliquibus presbyteris in concilio, quos Metropolitanus probauerit honorandos. quem Iſidori libellum, quia non ita facile reperitur, et futurus eſt ualde utilis ad haec Prouincialia Concilia, totum huic noſtrae diſputationi ſubiiciam. id uero, etiam ſi ab his antiquis ſcriptoribus non diceretur, ratio ipſa conuincit: ut, quia ſoli Epiſcopi eſſe non debent,

bent, hi ſacerdotes, qui eligendi ſunt, non ab alio, quam a Metropolitano, qui ei Synodo praeeſt, eligi, ac probari poſſint: et quod hi uocem deciſiuam, ne inane ſit eorum ſuffragium, habere debeant. nam ſi a Metropolitano indigni eo munere, uel ob uitam turpiter actam, uel ob litterarum imperitiam eligerentur, repugnari ei ab Epiſcopis, tamquam in re notorię iniqua poſſet. in his enim, quae notorie iniqua ſunt, ut recte tradunt noſtri doctores in c. fin. de coha. cle. et mu. gloſſ. et docto. in c. ueſtra eod. et ſaepe alibi, inferiores et ſubditi poſſunt iuſte ſuis ſuperioribus, ac Praefectis repugnare. quod ſi iuſte, ac moderate in hiſce eligẽdis aget Metropolitanus, omnino ei Epiſcopos obedire oportebit. ac ſane iudico, hanc rationem nõ futuram eſſe ineptam, ut ex ſingulis Eccleſiis duo electi uiri, alter ex Cathedrali, et hic ſit canonicus, dum tamẽ ſit idoneus; et alter ex dioeceſi eligantur; et ſinguli Abbates, uel Priores ordinum: qui omnes in magnis Eccleſiis poterunt eligi uiri egregii, et eruditione praeſtãtes. ex Metropolitana uero poterit duplo maior numerus aſſumi. ſic tamen, ut hi electi et probatiſſimi Sacerdotes eandem uocem conſulti-

uam

uam et deciſiuam, ut ſupra expoſui, cum Epiſcopis habeant. hos uero in primo concilio celebrando eligat Metropolitanus: qui in fine concilii, ut hoc toti Synodo deferat, poterit cómuni deliberatione ſtatuere, quinam presbyteri, et Abbates ex ſingulis dioeceſibus ad proximam Synodum ſint uocádi. quod ſi intra illud ſpatium aliquis eorum decedat, Metropolitanus cóſtituat, quinam in demortui locum ſufficiendus ſit. quod ſi plures presbyteros praefatis admitti oportebit, quod erit neceſſarium in prouinciis, in quibus ſunt pauci Epiſcopi, et ſunt multi egregii, ac docti uiri, qualis eſt noſtra Valentina, id recte a Metropolitano fieri poterit; nec ea de re iuſte Epiſcopi conqueri poterunt. nam, cum multa in conciliis Prouincialibus agenda ſint, in quibus, fortaſſe Epiſcopi contra Canones Concilii Tridentini, et aliorum Conciliorú aliquid feciſſe accuſabuntur, duriſſimum profecto eſſet, ſi hae cauſſae a ſolis Epiſcopis tractarétur; quod iudicio meo, non ſolum durú eſſet, ſed iniquiſſimum, et contra antiquas Prouinciales Synodos, et antiquos auctores, quos ſupra adduxi: in quibus ſemper fit métio presbyterorum in tractatione, et diffi

nitione

nitione cauſſarum, quae in hiſce conciliis tractabantur, et diffiniebantur. nam cum huiuſmodi cõcilia maxime ad iuuandum Metropolitanum ſpectent, ut cum cõſilio plurimorum, et ſapientiſſimorũ uirorum ea conſtituere poſſit, quae in prouincia neceſſario conſtituenda erunt; iniquiſſimum eſſet; ſi Metropolitanus, praeſertim cum Epiſcopi ſuffraganei non ita multi, aut non adeo ſapientes uiri eſſent, aut de rebus ad Epiſcopos pertinentibus ageretur, non poſſet aliorum conſilium poſtulare. quod quidem efficax nõ eſſet, niſi eorum ſententiae conſultiuae, et deciſiuae uocis uim haberent. Et quamuis eorum opinionem non ſequor, quos tamẽ Hoſtienſis, Io. Andreas, et Imola in ca. graue nimis de praeben. et ca. fin. de his quae fi. ſi. con. ca. non omnino reiiciunt, qui dicebant, Epiſcopos in Synodo Prouinciali eſſe tantum aſſeſſores Metropolitani; hoc tamen conſtanter aſſero, Metropolitanis, in huiuſmodi conciliis, multo plus, quam aliis Epiſcopis eſſe tribuendum. quibus, ſi hanc electionem probatiſſimorum presbyterorum non concedimus, non uideo, quid illis magnum, pluſquam aliis Epiſcopis tribuamus: nam ſuffragium il-

lorum nō poteſt, niſi unius uim habere. cumq. in hac Tridentina Synodo, in multis capitibus poteſtas Metropolitanorum, qua ex ſtilo quodam contra ius multi abutebantur, iuſte reſtricta ſit, et ad iura antiqua reuocata; neceſſariū eſt, ut haec ampla poteſtas, quam Metropolitani ex iure antiquiſſimo habent, eis cōſeruetur; quo poſſint recte, ea, quae ad uniuerſam prouinciam ſpectant, cōſtituere. uerum hoc omnino neceſſarium eſt, ut hi, qui a Metropolitano eligentur, presbyteri ſint, et reuera uita, ac doctrina ſint probatiſſimi. tales enim ſolum permittitur ei eligere. qua quidem facultate, caueant Metropolitani, ne abutātur: nam ſi quid ab ipſis contra Canones, et praecipue contra Concilium Tridentinum fiet, cum hoc ſit notorie iniquum, poterunt de his, et aliis rebus notorie iniquis a Synodo grauiſſime reprehendi; ac ſi maius crimen fuerit, proceſſus, et acta in Synodo recipi poterunt, ut ad Primatē, uel ad Sedem Apoſtolicam mittantur, ut auctoritate beatiſſimi Petri, quod iuſtum fuerit, ſtatuatur. poterunt etiam alia plura, uel negligente ob ſocordiam, uel malitioſe agente Metropolitano, per ſynodum tractari, ut malitia aliquo

rum Metropolitanorum reprimatur, aut ſocor dia aliorum excitetur, et omnes Eccleſiaſtici or dines in officio contineantur. quae omnia pro pterea dico, et quia uera eſſe iudico; et, ut ſuper bia omnis, et tyrannis ab eccleſiaſticis Praefe ctis longe abſit; cum ſciant, non illis pro libi to, atque imperio, ſed iuxta canones omnia eſ ſe facienda. hanc diſputationem, de qua a no bis iuxta ea, quae ex antiquis monumentis an notauimus, fuſe tractatum eſt; noſtri doctores breuiter attingũt in c. graue nimis de praeben. et in c. fin. de his quae fiunt a prela. ſine cõſenſ. cap. Innocentii ea eſt ſententia, ut putet, capi tula Cathedralium, nõ eſſe ad Prouincialia con cilia admittenda, niſi cum de eorum intereſſe agitur. ab eo Hoſtienſis, Io. Andreas, Butrius, Imola, Abbas Panormitanus diſſentiunt; ſed non multo plus illis tribuunt, quam Innocen tius, aiunt enim: eorum procuratorem ad tra ctatum admittendum eſſe iuxta uerba cap. fin. non tamen ad iudicandum, et diffiniendum. ſa ne his doctiſſimis uiris ego libenter ignoſco, ſi plene hanc rem non explicarunt. nam cum illi eos tantum canones tractarent, quos in ius cõ mune redactos habemus, atque in illis nihil

clare et aperte de hac re conſtitutum uiderent, haeſerunt: et tamē ex illis duobus canonibus, quidquid elici potuit, elicuerunt. nos uero certo, niſi fallimur, demonſtrauimus, electiſſimos quoſque ſacerdotes, uel Cathedralis Eccleſiae, uel dioeceſeos, quos Metropolitanus probaret, habuiſſe in cōciliis Prouincialibus uocem conſultiuā et deciſiuam: quod clare Iſidorus, et Anſelmus Lucēſis locupletiſſimi teſtes fatētur, et aperte ex Tarraconēſi Cōcilio, et ſubſcriptionibus multarum Prouincialium Synodorū apparet. illis uero eo maior fides adhibenda eſt, quia, cum ea ipſi ſcribebant, adhuc concilia Prouincialia in uſu erant. nam ab Iſidoro fuerunt aliquot Iſpalenſia Concilia habita. At contra, cum noſtri doctores ea ſcripſerūt, iam nullus erat uſus conciliorum Prouincialium. unde mirandum non eſt, ſi rem, quae tota in uſu poſita erat, diuinare non potuerunt. ab ipſis tamen ego in ea parte nō diſſentio, cum dicunt, Canonicos, et capitulorum procuratores non eſſe ad uocem diffinitiuam admittendos; nam idem mihi quoque probatur, ut in hac re nulla habenda ſit ratio canonicorum, quatenus ſunt canonici; quia neque omnes canonici

poſſunt ad haſce Synodos uenire, et ſi poſſent, iuſtum non eſſet, ut omnibus canonicis tanta auctoritas tribueretur. uerum, ſi inter canonicos erunt aliqui presbyteri probatiſſimi, recte faciet Metropolitanus, ſi hos, potius quã alios elegerit. ac ſane aequiſſimum erit, ut huiuſmodi canonicorum maxima ratio habeatur. ratio uero, quae uidetur potiſſimũ mouere aliquos ex noſtris doctoribus, ut dicant, ſolos Epiſcopos habere uocem deciſiuam, eſt, quia dicunt ſolos eſſe neceſſario uocandos ad huiuſmodi concilia, et citant c. propter eccleſiaſticas et c. quoniam 18. diſt. in quibus tamen locis non dicitur ſolos, uel Epiſcopos tantum eſſe uocandos: nam quod eſſent uocanda capitula tempore Alexan. III, quo tẽpore arbitror iam fuiſſe cõmutatam illam antiquam rationem tractandorum conciliorum, de qua ſupra diſputauimus, clare habemus in c. fin. ante citato, ubi aperte dicitur: capitula debere inuitari. uocandi uero dicuntur Epiſcopi in illis locis, quia eorum uocatio nullo modo poterat praetermitti. quae tamen uocatio, ut ego arbitror, poterat fieri, edicto a Metropolitano propoſito de Synodo conſueto tempore habenda, neque

erat ſingulorum Epiſcoporum uocatio neceſſa ria. tametſi doctores in locis ante citatis uelint, hanc ſingularem uocationem, et citationem, ut ipſi dicunt, perſonalem eſſe neceſſariam, ſed id non probant. de qua tamen re non uidetur mihi ualde eſſe contendendum, et rectius Metropolitanus fecerit, ſi ſingulos uocauerit. uerum in illis presbyteris, de quibus ſupra diximus, quantumuis illi omni genere uirtutum praediti eſſent, non erat certa eorum uocatio, ſicut Epiſcoporum: ſed quos Metropolitanus ex illis eligebat, eos tantum uocabat. unde in illis locis hi expreſſe nominati ſunt, qui per ſe, et omnino uocandi erant; de his, quorum neceſſe erat praecedere electionem, nulla mentio facta fuit. praeter haec, illud etiam ualde notan dum eſt, ut nullus presbyter, uel diaconus poſſit ab ullo Epiſcopo, quouis dolo impediri, quo minus ad Synodum ueniat. nam, niſi hoc prouideatur, uariis artibus mali Epiſcopi, quos de ſe queri uelle uidebunt, domi manere cogent: quod quidem contra antiquum morem horum conciliorum eſſet. in quibus, praeter il los probatiſſimos presbyteros, qui in omnibus, quae in Concilio agebantur, intererant, multi

multi alii presbyteri, et diacones aderāt: illi, ni mirum, qui petere aliquid a Synodo, aut de aliquo conqueri uolebant. de quo, in capite de cimo et octauo eorum, quae Martinus Bracharenſis ex graecis Synodis collegit, ſic habetur. Placuit per ſingulas prouincias bis in anno cōcilium fieri, conuocante Metropolitano Epiſcopo omnes prouinciales, ita, ut ad cōcilium procedant omnes presbyteri, et diacones. et in multis conciliis Romanis, et aliis prouincialibus clare dicitur, omnē clerum orationis tempore in Synodo interfuiſſe: et Iſidorus, in eo libello, quem ſupra citaui, cum expoſuiſſet, tribus primis diebus de expoſitione fidei agendum eſſe, a qua nullus excludebatur, de his, quae in ſequentibus diebus agenda erant, tractans, ait: Sicq. omnes, qui de religioſis in retroactis diebus pro ſpiritali inſtructione inter fuerant in concilio, foris egrediantur, reſidentibus presbyteris in concilio, quos Metropolitanus probauerit honorandos. unde illud omnino conſtituendum erit; ut cuiuis eccleſiaſtico, etiam contra uoluntatem proprii Epiſcopi, liceat ad Synodum uenire. nam ſi iniquam querellam attulerit, facile cognoſcetur; neque

iuſtum

iuſtum eſt, ut ob mẽdaces, uel ineptos aliquos accuſatores, qui tamen puniri ob fallacem accuſationem iuſtiſſime poterunt, alii, qui iuſte ac recte de rebus grauiſſimis queri poſſunt, eiiciantur. quod, ſi Epiſcopi, et hi, quibus de iure dixi ad Synodum ueniendum eſſe, legitime nõ impediti ad Synodum uenire neglexerint, ipſo iure ſunt excõmunicati; et tales poſſunt a Metropolitano declarari, et praecipi, ut ab omnibus uitetur. ca. ſi quis autem, cum aliquot aliis ca. deinceps ſequentibus 18. diſtinct. illi tamen proprie excipiuntur in eo decreto Concilii Tridentini, qui in inſulis habitant, et habent Metropolitanos in cõtinenti; ut, ſi euidens ſit periculum Pyratarum, non cogantur transfretare. uerum hoc impedimentum iam intelligebatur ex illis uerbis canonis ſexti Tarraconenſis Concilii. Si quis Epiſcoporum commonitus a Metropolitano, ad Synodum, nulla graui neceſſitate intercedente corporali etc. tamen, ut iuſtior eſſet eorum excuſatio, uoluerunt Patres hoc expreſſe in decreto apponi. quod ſi nullum magnum periculum pyratarum fuerit, et alias recte ualeant Epiſcopi, atque alii, quos ex inſulis uenire ad Synodum oportet, non ſunt

excu-

excuſandi: cum commodiſſimum ſit anni tempus poſt octauam Paſchae ad nauigandum. uerum ab his Inſulanis, ſiue affuerint, ſiue non affuerint in concilio, ea, quae in Synodo Prouinciali decernetur, ſeruanda erunt. cum enim de hac re nihil in decreto expreſſe ſtatuatur, ita eſt ex iure communi intelligendum; praeſertim, cum expreſſe hoc fuerit fere ab omnibus Patribus in ſententiis dicendis declaratum. ſed, ne exempti Epiſcopi uenire ad Synodum renuerent, aperte definitum eſt, quid ſit Epiſcopis exemptis faciendum. quod, ut ſpero, ab omnibus bonis uiris omnino fiet; tum, ut decreto Synodi Tridentinae pareant, tum, quia nihil perit eorum exemptioni. ac ſane eſſet indecorum, ſi tempore conſtituto, aliis omnibus Epiſcopis ad Synodos prouinciales proficiſcentibus, ipſi ſoli domi ſederent; et Eccleſiae illi non ſatis conſuleretur, ſi ea, quae in Synodis prouincialibus, ad tollendos abuſus, et punienda crimina conſtituerentur, in ea non reciperentur; et eſſet inhoneſtum, ſi reciperentur, cum eorum Epiſcopus, nulla legitima cauſſa impeditus, Synodo non interfuiſſet. unde, et ob utilitatem harum Eccleſiarum, et ob Epi-

ſcoporum dignitatem, neceſſarium eſt, ut huiuſmodi Epiſcopi ante proximam conuocationem conciliorum aliquem Archiepiſcopum uicinum ſibi eligant, cum quo Synodum, tamquam proprii ſuffraganei, habeant. quorum maximam rationem Synodus Tridentina habuit, cum hoc uoluntati eorũ reliquit, ut ipſi ſibi Metropolitanum eligant. uerum ſi quis in eligendo negligens fuerit, quid fiet? nihil aliud fieri poterit, niſi, ut Sanctiſſimus Romanus Põtifex per ſuos Nuncios eis praecipiat, ut ante primam uocationem ſibi Metropolitanum uicinum eligant, uel ſi nõ elegerint, ipſos ei ſubiiciat, quem meliorem, et aptiorem iudicauerit. nam, cum ſint exempti, a nullo, niſi a Maximo Pontifice cogi poſſunt. uerum, quia in prouinciis remotis ignorare poterit Romanus Pontifex, quid ab aliquibus huiuſmodi Epiſcopis fiat, Metropolitani, ac uicini Epiſcopi poterunt eum de negligẽtia huiuſmodi admonere, ut ipſe eis praecipere poſſit, cum quo Metropolitano conuenire ad Synodum debeat. Huc uſque non inepte, ut arbitror, explicata ſunt praecipua quaedam capita ad prouinciales Synodos pertinentia: ſed antequam de dioeceſa-

nis dicam,

nis dicam, uolo aliqua ualde neceſſaria ad rationem eorum, quae in hiſce conciliis tractanda ſunt, annotare. Poſitis his, de quibus late ſupra diximus, et praecipue, quinam ſint praeter Epiſcopos ad Prouincialia concilia uocandi, uidemur magna quadam difficultate liberati: ſed reſtat, ut demōſtremus, quo modo cauſſae olim tractabantur in huiuſmodi conciliis, ut breui tempore, ac recte, multae graues cauſſae expediri poſſent. in tertio capite illius quarti Concilii Toletani, poſt ingreſſum Epiſcoporum, et electorum Sacerdotū, ac notariorum, qui ad excipiendas Patrum ſententias neceſſarii erant, exordium dicit eſſe ſumēdum ab oratione. Sedentibusq. in diuturno ſilentio Sacerdotibus, et cor tantum habentibus ad Deum, dicat Archidiaconus, orate: ſtatimq. omnes in terram proſternentur. et orantibus diutius tacite cum fletibus, atque gemitibus, tunc unus ex Epiſcopis ſenioribus ſurgens, orationem palam ad Dominum fundat, cunctis adhuc in terra iacentibus. finita autem oratione, et reſponſo ab omnibus Amen, rurſus Archidiaconus dicat: erigite uos. et confeſtim omnes ſurgant, et cum timore, ac diſciplina, tam Epiſcopi, quā

Quomodo cauſe olim i Concilijs prouincialibus tractabantur.

 preſ-

presbyteri ſedeant. ſicq; omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, diaconus alba indutus codicem Canonum in medio proferens, capitula de conciliis agendis pronunciet: eadem fere repetit Iſidorus in eo libello, quem ſupra citaui, niſi quod, cum de oratione loquitur, eam totam adiungit, quae in Pontificali habetur, quae incipit: Adſumus domine ſancte Pater etc. et in fine numerat, quaenam eſſent ea capitula, quae de agendis conciliis recitabantur: ſicq; omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, Diaconus alba indutus codicem in medio proferens, capitula de agendis cōciliis pronunciet: ideſt de Concilio Toletano quarto, era 18. Item ex Concilio Toletano quarto, era 3. Item ex capitulis orientalium Patrum, quae Martinus Epiſcopus de graeco in latinum uertit, era 18. de Synodo facienda. Item ex Concilio Chalcedonenſi era 18. Item ex Concilio Agathenſi era 25. uel aliud de canonibus, quod Metropolitano aptius uiſum fuerit, ut legatur. nomine uero erae Iſidorus ſingula capita intelligit, ſicut ſaepe in Toletanis cōciliis legimus, quod et Higmarus annotauit. in illis uero omnibus canonibus habēdas eſſe Synodos pro-

uinciales

uinciales ſtatuitur. itaque legebantur, ut intelligerent Epiſcopi, et alii Sacerdotes, quibus canonibus cogerentur ad eas Synodos conuenire. poſt lectionē horum canonum, et in eo tertio canone, et in libello Iſidori dicitur, exhortandos eſſe Patres a Metropolitano, quae exhortatio paulo longior eſt in Iſidoro, quam in canone. adiungit etiam Iſidorus. Poſt hanc exhortationem introibunt omnes, quicumque fuerint presbyteri, diacones, uel religioſi uiri ad audiendum doctrinam: ſicq. Archidiaconus lecturus eſt canonem Toletani concilii undecimi, era prima: ne tumultu concilium agitetur. quo canone perlecto, Concilium Epheſinum ex ordine perlegatur: deinde collatio pariter, et inſtructio de myſterio Sanctae Trinitatis habeatur, ſimulq. et de officiorum ordinibus, ſi in omnium ſedibus eiuſdem celebritatis unitas teneatur. pro his quoque cauſſis, prout ſpatium diei permiſerit, et epiſtolae Papae Leonis ad Flauianum Epiſcopum de errore Euthycetis, et myſterio Trinitatis, legendae ſunt, Canones quoque de unitate officiorum. nec ad aliud aliquid antea tranſeatur, quam iſta omnia explicentur. ita tamen, ut in totos tres

dies

dies Letaniarum nihil aliud agatur, nec tractetur, niſi ſola collatio de myſterio Sanctae Trinitatis, et de ordinibus ſacris, uel officiorum inſtitutis. ita, ut haec tota partiantur per totos illos tres dies, ut nihil aliud ſit, ut dictū eſt, niſi ſola quaeſtio, de his, quae praedicta ſunt, habeatur. uerum in illo tertio canone quarti concilii Toletani, poſt exhortationem quandam multo breuiorem ea, quae ponitur ab Iſidoro, nulla mētio eſt doctrinae, neque horum, quae hiſce tribus diebus fieri praecipit Iſidorus. Sed ſtatim agitur de cauſſis, et de querellis proponendis. ea tamē ratio Iſidori mihi maxime probatur. ita, ut primo die pro Epheſino Concilio legatur totum Concilium Tridentinum, et ea omnia fiant, quae in uigeſima quinta Seſſione cap. ſecundo reformationis in prouinciali concilio facienda eſſe decernuntur. et, quia de myſterio Sanctae Trinitatis nunc inter omnes conuenit, pro illa collatione commodius tractabitur de Iuſtificatione, de Gratia, et Libero Arbitrio, et de Sacramentis: quia in Concilio Tridētino de his maxime agitur; et haec ſunt, de quibus maxima nobis eſt diſſenſio cum haereticis noſtri temporis. illud quoque de Ordinibus

nibus ſacris, et de proprio cuiuſque officio, et de examine, et diligentia a propriis Epiſcopis adhibenda in ordinandis, diligentiſſime tractetur. quae omnia per duos dies, uel ſummũ tres, ut ait Iſidorus, recte tractari poterunt. nam totus dies, ut multa breui expediri poſſint, in hiſce congregationibus erit ponendus. primo enim mane conueniendum erit; ita, ut ad horam prandii duret congregatio, et poſt prandium breui ſpatio ad quieſcendum horae unius conceſſo, iterum ad congregationem, quae uſque ad noctem duret, eatur. ſic enim agendum eſt, ſi intra menſem, ultra quem non erit commodum prorogari huiuſmodi concilia, aliquid agi uolumus. olim enim breuius tempus his conciliis dabatur, quia bis ſingulis annis habebantur, ut ex c. propter Eccleſiaſticas colligi poteſt, quod et Praepoſitus annotauit. uerum nunc, cum per tres annos concilia prouincialia differri poſſint, iuſtum erit, ut in eis ſaltem menſis ponatur. ſed haec obiter, nunc ad ea, quae ex Iſidoro tractabamus, reuertamur. ad hanc collationem doctrinae, et inſtitutorum, ut ex his, quae ab Iſidoro dicuntur, apparet, omnes presbyteri, diacones, et omnes

religioſi

religioſi, et eccleſiaſtici uiri admittebantur. unde poſt lectionem Concilii arbitror, ita tum factum fuiſſe, ut unus, atque alter praemeditati accederent ad exponendum aliqua de myſterio Sanctae Trinitatis, quae in Epheſino Concilio difficiliora intellectu uidebantur, quae omnibus tacentibus, tamquam a concionatore tractabantur. et ita faciendum puto de his, quae in Cõcilio Tridentino difficiliora erunt: ita, ut unus de fide et operibus unica congregatione, quantum poterit diſſerat; alter de gratia, et Libero Arbitrio: alii duabus, uel tribus congregationibus omnia, quae in Sacramẽtis difficiliora erunt, breuiter pertractẽt. et poſt hanc fidei tractationem agatur de officiis ſingulorum ordinum eccleſiaſticorum, et de omni ratione in eis ſeruanda. et ſic cõſtituatur, ut ſummum tribus diebus haec omnis doctrinae tractatio expediatur. de quarto uero, et de aliis diebus, ſic admonet Iſidorus. Poſt haec in quarto die reliquae cauſſae per ordinem admittendae ſunt. ſicq. omnes, qui de religioſis in retroactis diebus pro ſpiritali inſtructione interfuerant in concilio, foris egrediantur. reſidentibus aliquibus presbyteris in concilio, quos Metropo

litanus

litanus probauerit honorandos. per ſingulos tamen illos tres dies Letaniarum, Epiſcopi, uel presbyteri cum admonitore primum orationibus ſe proſternant, ſicq. collecta a Metropolitano oratione cōſurgant, et de diuinis tantum, ut dictum eſt, rebus collatio habeatur. in reliquis autem diebus cunctis aſtantibus oratio colligenda eſt. et ſic conſedentes, cauſſarum negotia iuſte, et religioſe colligant. itaque Iſidorus uult, ut primis tribus diebus in oratione proſternamur, et in illis tantum collatio doctrinae habeatur: in aliis uero diebus, cum de negotiis tractandum erit, eam orationem uult adſtantibus nobis recitari. uerum Synodus Toletana in eo tertio canone ſaepe citato, nullum huiuſmodi diſcrimen conſtituit, neque orationis trium dierum, neque illius collationis doctrinae. nam loquens de primo die continenter poſt exhortationem, quam ſtatuit a Metropolitano faciendam eſſe; ait. Tunc, ſi aliquis quamcumque querellam, quae contra canonem agit in audientiam ſacerdotalem protulerit, non prius ad aliud tranſeatur capitulum, niſi primū, quae propoſita eſt actio terminetur. unde non ineptum iudicarem, ſi ſic fieret: ut

O in pro-

in prouinciis, in quibus multi ſunt haereſi infecti, per tres, atque adeo plures dies, ſi opus eſſet, de doctrina fidei iuxta decreta Synodi Tridentinae tractaretur: ſic tamen, ut poſtea alia negotia, et correctio uitiorum, tam Epiſcoporum, quam aliorum non negligeretur. haec enim non minus proderit, quam illa fidei diſputatio. in illis uero prouinciis, ubi nulla eſt de rebus fidei dubitatio, ſatis erit, ſi toto primo die poſt lectionem Concilii, de his, quae praecipua erunt, a duobus, aut tribus Theologis diſputabitur; ſic, ut altero die negotia tractari incipiant. nam hoc praecipue, et diligētiſſime in hiſce conciliis curandum eſt, ut decreta in Synodo Tridentina edita omnino ſeruentur, neque ulla arte cuiuſpiam, uiolentur: et ſiquid praeter illa decreta, quod ad mores ſpectet, ſtatuetur, huc tendat, ut uetus eccleſiaſtica diſciplina, quae tota in ea Synodo ob uarias aliquarum nationum calamitates reſtitui nō potuit; in prouinciis pacatioribus ſenſim reſtituatur. In Epiſcopis autem tria in primis uellem ualde examinari, etiam ſi nulla contra eos querella proponeretur, quia haec in Synodo Tridentina conſtituta ſunt. ſi ex bonis eccleſiaſticis di-

tant ſuos, uel pecuniam auare cumulant; aut alias male conſumunt. ſi in ordinationibus ſeruant ea diligenter, quae ſunt in Synodo conſtituta. ſi in prouiſione beneficiorum habẽt tantum rationem ſuorum familiarium, nõ autem doctorum, ac bonorum; et praecipue, ſi fraudem ullam faciunt decreto de examine promouendorum ad beneficia curata. de quibus tam Metropolitanum, quam alios oportet reddere rationem; quia haec pertinẽt ad executionem Synodi Tridentinae, quae ab omnibus praeſtãda eſt: ob quam ſeruandam Synodus prouincialis reprehendere grauiter Metropolitanum poteſt, quia nõ ſua auctoritate nititur, ſed Concilii Vniuerſalis. quod ſi in primo aliquis eorum grauius deliquerit, reuocandae erunt donationes ab eo factae, et ſi opus erit, ei oeconomus ex proprio clero iuxſta antiquos canones conſtituetur. uerum, ſi in duobus aliis peccauerit, iuſte omni collatione ordinum, ac beneficiorum priuari poterit, c. graue nimis de praeb. iuxſta quem canonem agendum eſſe, tam contra Epiſcopos, et Capitula, quam contra Metropolitanos; ſi indignis beneficia conferant, decernitur Seſſione ſeptima, capite tertio refor-

 matio-

mationis. utitur enim nomine Ordinarii indefinite, quo nomine omnes intelliguntur. in aliis uero eccleſiaſticis maxime prouidendum eſt, ut ſuis Epiſcopis obediant: ſine obedientia enim nullus ordo, non ſolum in eccleſia, ſed neque in aliqua priuata domo eſſe poteſt. et ut quilibet eorum pro ſua uirili parte praeſtet ea, quae in Synodo Tridẽtina decreta ſunt, et quae in ipſis prouincialibus Synodis ſtatuentur. quod uero ad modum ipſum, et rationem tractãdi ſingulas cauſſas attinet, haec cuperem obſeruari. primum, ut nomine Metropolitani, propoſitis edictis in ſingulis Cathedralibus ſuffraganeorum, moneantur illi, qui querellam aliquam, uel accuſationẽ contra quoſcumque proponere uolent, ut ſi id quod proponunt inſtrumẽtis probandum ſit, ea domo afferant, et parati omnino ad cõcilium ueniant. quod ſi res teſtibus probanda ſit, quam citiſſime accedant, ut audita eorum querella, ſi recipienda uideatur, mitti poſſint e Synodo commiſſarii, ſi ita opus fuerit, ad propria loca, qui teſtimonia fide digna recipiant, ut ante finem concilii reuerti poſſint, et cauſſa finiatur: ob quam rem primos dies oportebit his querellis

audiendis

audiendis dari, quae per teſtes probãdae erunt. ſingulis uero Iuris canonici peritis, qui in Synodo aderunt, tot cauſſae committantur, quot uiſum fuerit commode expediri poſſe. propterea, quo plures iuris canonici periti uiri eccleſiaſtici his Synodis intererũt; eo melius omnia conficientur: ac ſane haec ſola ratio, etiam ſi alia, quae ſupra adduxi, deeſſent, conuincere poſſet, alios presbyteros, praeter Epiſcopos ad futuros eſſe in hiſce conciliis, ut eis multae huiuſmodi cauſſae cõmitti poſſint. nam, niſi hoc fiat, in prouinciis, in quibus ſunt pauci Epiſcopi, nullus poſſet eſſe uſus conciliorum prouincialium; quod eſſet abſurdum. eius uero, cui cauſſa committetur, cura erit; notare omnia, quae per inſtrumenta, uel teſtes probata erunt, ut ea toti Synodo referat; ut poſt, nomine totius Synodi ſententia proferatur. hoc tamen obſeruandũ erit, ut quando de cauſſa alicuius Epiſcopi tractabitur, et ipſe, et alii omnes eius eccleſiae, qui Synodo intererũt, in ea cauſſa ſuffragiũ non ferant. in aliis uero cauſſis propriae Eccleſiae audiri poterunt, niſi eos ſuſpectos ſibi eſſe aliqua partium iurauerit. uniuerſim tamen obſeruandum eſt, ut in Synodis huiuſmo

di, le-

di leuiores cauſſae non recipiantur. ſatis enim erit, ſi accuſationes grauiorum criminum Epiſcoporum, atque aliorum eccleſiaſtici ordinis, praeſertim, ſi quid ab ipſis contra Synodi Tridentinae decreta fiet, diligenter tractentur; et iuſta ſententia contra eos, qui deliquerint proferatur. quod ſi fuerit cauſſa aliqua huiuſmodi, quae non facile poſſit a Synodo expediri, poterunt iudices a concilio Prouinciali, qui eam finiant, conſtitui; ut eſt in fine quinti capitis 23. Seſſionis Concilii Tridentini. praeter eas querellas, et controuerſias, erunt aliqua alia in hiſce Synodis conſtituenda, quae hoc loco annotare conſtitui; ut, ſi digna animaduerſione iudicata fuerint, aliquid de his conſtituatur: ſin minus, omittantur.

1 Primum omnium petatur a Regibus, ſeu aliis Principibus, quorũ prouincia erit, nomine concilii Prouincialis pro ſingulis Epiſcopis brachium ſaeculare, ad exequendum omnia, quae in Synodo Tridentina ſunt decreta.

2 Conſtituatur in ſingulis prouinciis duo, quae Vir prudẽtiſſimus Reginaldus Polus Cardinalis, et Sedis Apoſtolicae Legatus in reformatione Angliae notauit, ac cum conſenſu Epi

ſcoporum

ſcoporũ Angliae decreuit; et cuiuis prouinciae erunt utilia. alterum eſt, in quo tamen aliqua, quae mihi aptiora uiſa ſunt, mutaui, ut infra ſpatium ſex menſium ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis, Decanis, Rectoribus parochialium, et aliis quaeuis eccleſiaſtica beneficia, ſeu pia loca obtinentibus per publicum notarium, et coram pluribus honeſtis, et fide dignis teſtibus cõficiatur inuentarium omnium bonorum, mobilium, et immobilium, iurium, actionum, ac nominum, ſeu debitorum ad eccleſias, uel pia loca, quae obtinent, aut regunt, quouis modo pertinentium, cum eorum qualitatibus, et confinibus, quod quidem inuentarium tertio quoque anno, et quoties in eadem eccleſia, ſeu pio loco aliquis ſuccedit, renouetur. huius autem inuentarii, ſi ſit Eccleſia Metropolitana, plura fiant publica inſtrumenta: quorum alterum in propria eccleſia penes Capitulum, alterũ in archiuio Archiepiſcopi, et praeterea ſingula in ſingulis archiuiis Suffraganeorum ſeruentur. ſi uero fuerit Cathedralis, alterum a proprio Epiſcopo, alterum penes Capitulum, et tertium penes Metropolitanum cuſtodiatur. in reliquis uero piis locis, et beneficiis:

ficiis: alterum in loco beneficii, et alterum in archiuio Epiſcopi ſeruetur. quod, ſi alii Ordinario inferiori ſubiectum ſit beneficium, tertium penes ipſum Ordinarium maneat. quae omnia expenſis obtinentium beneficia fiant. haec autem inuentaria Ordinarii in uiſitatione penes ſe habebunt, ut diligenter inquirant, an eorum, quae in inuentario deſcripta ſunt aliquid deſit. quod ſi quid deeſſe compererint, id recuperare, ſeu ad ius priſtinum eccleſiarum reuocare ſtudeant: culpam, ſeu negligentiam cuiuslibet hac in re iuxſta canonicas ſanctiones ſeuere puniendo.

3 Vt praeſentati a quibuſuis patronis, tam eccleſiaſticis, quam laicis, antequam ab Epiſcopo inſtituantur, ſub hac forma iurent: quae tamen prius illis exhibeatur, ut eam recte intelligant. Ego N. praeſentatus ad beneficium de N. iuro ad haec Sacroſancta Dei Euangelia per me corporaliter tacta, quod propter praedictum beneficium obtinendum, aut praeſentationem ad idem habendum, aut acquirẽdum, neque Ego, neque alia perſona uice, ac nomine meo, nec de conſenſu, aut ſcientia mea, patrono, ſeu alii cuiquam aliquid praemiſſorum nomine,

mine, aut intuitu promiſimus, aut dedimus, nec quidquam eius rei gratia permutauimus, compenſauimus, aut prius datum confirmaui mus, apud ue quemquá depoſuimus, ſeu quidquam mutuauimus, ſeu elocauimus, priuſue mutuatum, commodatum, depoſitum, aut elocatum, aut quocumque modo debitum remiſimus, ſeu laxauimus; nec de ſanctuario, gleba, domibus, terris, praediis, tenimentis, reditibus praedictae Eccleſiae, fructibuſue, decimis, aut oblationibus eiuſdem, praeteritis, praeſentibus, aut futuris, donationem, remiſſionem, locationemue promiſimus, fecimus, aut iniuimus, ſeu aliquis noſtrum de mandato, ſcientia, aut conſenſu meo promiſit, fecit, aut iniuit. ita me Deus adiuuet, et haec ſancta Dei Euangelia.

4 Conſtituatur, ut Clerici eiuſdem prouinciae poſſint ad beneficia cuiuſcumque Eccleſiae prouinciae admitti, ſi idonei reperti fuerint; ſic, ut data omnium rerum paritate, Dioeceſanus alteri praeferatur. et in hoc nullum ſit impedimentum Regiarum pragmaticarum.

5 Habita ratione 34. & 35. canonum Concilii Carthaginēſis quarti, in quibus praecipitur

Epiſcopis, ne patiantur ſtare presbyteros ipſis ſedentibus, ſtatuatur: ut neque aperto capite ſtent coram Epiſcopis, aut, quod peius eſt, genu flexo eos alloquantur. quae omnia indigna ſunt eo ordine, ac modeſtia Epiſcopali.

6 Conſtituatur etiam, ut templa maiorum ciuitatum, ad quae magna Populi multitudo conuenire ſolet, quo commodius poterunt, aptentur, ne facile mulieres ab adoleſcentibus uideri poſſint, et ne deambulationes in templis fiant, quae erunt ualde prohibendae, praeſertim cum ſacrificia fiunt, uel laudes Deo canuntur: hoc autē recte fiet, ſi totum templum, ubi fieri poterit, ſcamnis impleatur, ut uix ſpatium ad deambulandum relinquatur.

7 Sacerdotes, qui confeſſiones audiunt, nihil pro illis, etiam a ſponte dantibus accipere poſſint.

8 Tractari poterit de ſepulturis iuxſta canonem 36. Bracharenſis Concilii, et cano. 17. Concilii Tiburienſis, ut intra Baſilicam nō ſepeliantur, niſi corpora ſacerdotum, et optimorum uirorum, et quod pro huiuſmodi ſepulturis nihil praecipuum ſoluatur, alii omnes ſepeliantur in Cemiterio: in uniuerſum uero moderatio ma-

tio maxima adhibeatur in his, quae pro ſepulturis ſoluuntur. in quo, pro conſuetudine prouinciae, congrua remedia adhibeantur.

9 Adhibeatur moderatio nimiae impẽſae, quae in aliquibus prouinciis fit, in funere. et artificioſae quaedam lamentationes, ac luctus quidam gentilium, qui adhuc in nonnullis prouinciis uigent, prohibeantur.

10 Praeter dies dominicos, et feſtos aliquot beatae Mariae, et ſanctorum Apoſtolorum, et aliquorum ſanctorum, iuxta conſuetudinẽ cuiuſque prouinciae: in reliquis, poterit concedi pauperibus facultas audita Miſſa, cuiuſcumque operis faciendi. in dominicis uero, et illis feſtis diebus prohibeantur omnes ludi, etiam pilae, et trochi; ut omnes ad templum, ad Miſſam, concionem, et lectionem doctrinae Chriſtiane conueniant.

11 Declaretur pro ratione cuiuſque prouinciae, quae ratio uerſurarum poſſit eſſe, tam mercatoribus, quam aliis commoda; et alia omnia genera uerſurarum, tamquam ad uſuram pertinentia, graui poena prohibeantur. In prouincia uero Romana a Sanctiſſimo, uel in Concilio prouinciali Romano conſtituatur aliqua ra

tio uerſurarum; qua neceſſario uti mercatores oporteat. in qua haec tria potiſſimum caueantur. Primum, ut mercator omnino docere debeat, ſe in prouincia, uel in partibus, ut dicunt, ab aliquo petiiſſe ſolutionem. quam etiam ſufficiat in Metropolitana, uel in Cathedrali ab aliqua publica perſona petiiſſe, ſi debitor in pago aliquo remoto habitauerit, modo per publicum inſtrumentum de hac petitione conſtet. poſt quam petitionem, debet mercator certum tempus expectare, ſi ſibi ab aliquo pecunia debita ſoluatur. alias enim, ſi a nullo ſolutionem petat in prouincia, ſed tantum lapſum temporis quinque, uel etiam ſex menſium expectet, contractus hic natura, et origine ſua eſt uſurarius. alterum eſt, ut moderatio adhibeatur nimio intereſſe, quod a curialibus ſoluitur, et cōſtituatur, ut idem, uel non multo maius intereſſe ſoluatur a curiali, quam ſoluitur a mercatoribus. quod, ſi mercatores nolint ea ratione honeſtis, ac probis uiris curialibus pecuniā dare, prohibeatur iſtis, ut neque cum aliis poſſint ullas uerſuras facere. nam cum ipſi ſint quidā publici ſerui ad dandas uerſuras conſtituti, ſicut notarii ad inſtrumenta cōficienda, debent

honeſtis

honeſtis uiris, modo ſibi recte caueatur, eas nō negare. ſed ne ob hanc cauendi rationem, ipſi, quibus uolent, negare pecunias poſſint, conſti tuatur a Principe formula cautionis, et quae ex ceptiones poſſint a mercatoribus curiali obiici. nam ſane hoc iniquiſſimum eſt, et eſt manifeſta uſura, ut eodem tempore, et ad eandem ciuitatem uerſurae inter mercatores fiant alio pretio, et alio fiant cum curialibus, a quibus ac cipiunt certiſſimam cautionem. Tertium, in quo omnino conſuli oportet, eſt, ut ſi pecunia in prouincia non ſoluatur, et curialis eam debet ſoluere Romae, omne damnum, quod in pecunia ex prouincia Romam transferenda inter mercatores eo tempore ſoluetur, ex tota ſumma in curia ſoluenda detrahatur. cui rei, ſi recte, et efficaciter cōſuletur, prouinciales, qui in curia ad habendas litteras Apoſtolicas pecunia indigent, magno onere leuabuntur, ut, ne praeter id, quod officialibus Pont. Max. ſoluendum eſt, tam inmoderatum, ac nimium intereſſe mercatoribus numerari oporteat.

12 De cenſibus quoque diligens diſputatio habeatur, et hi tantum admittantur, in qui bus nomine cenſus tātum reditus datur, quan

tum

tum ex praedio aliquo perciperetur, pro rata eius pecuniae, quae cenſus nomine data eſt: hoc enim tantum caſu puto licere uti huiuſmodi contractu, ſicut multo ante Innocentius in c. in ciuitate de Vſu. annotauit. uerum, ſi quo alio caſu liceat, diligenter uideatur. nam haec res latiſſima eſt, et ad multos ſpectat.

13 Vt nullus ad Eccleſiam admittatur, ſed omnino prohibeantur aditu Eccleſiae, qui ex arte inhoneſta, et canonibus prohibita quaeſtum faciunt, contra quos Epiſcopi, nõ obſtante quacumque longiſſima conſuetudine, ſeu potius corruptela, iuxta canones procedant. et tales in primis habeantur, qui uerſuras contra id, quod in Synodo, uel in Curia a beatiſſimo Romano Pontifice conſtituetur, facient.

14 In quacumque ciuitate conſtituatur aliquis locus publicus, in quo acceptis pignoribus, pauperibus mutuo pecuniae aliquae dentur. ita, ut illud intereſſe tãtum ſoluant, quod debebitur his, qui ea, quae neceſſaria erunt curabunt. quod intereſſe non excedat quattuor, uel quinque pro cẽtenario ſingulis annis. quae loca montes pietatis in Italia nominantur; et conſtitui omnino deberet in Hiſpania, et aliis

prouinciis:

prouinciis: cum ex depoſitis diuitum, ſi per bonos uiros gubernetur, facile cōſeruari poſſint,

15 Licentia illa Bacchanaliū, qua multi in illis diebus ante quadrageſimā in pleriſque prouinciis nimium abutuntur; ex quo magnum ſcandalum oritur apud Iudaeos, et Turcas, qui talia a nobis fieri uident; ſi plane non tollitur; reprimatur. ita, ut eccleſiaſticis, ſub poena priuationis ordinum, et beneficiorum, quae obtinent, in quam ipſo facto incidant, ne perſonati incedant; et mulieribus ſub poena excommunicationis, et aliqua poena corporali idem interdicatur: adoleſcentibus uero tres tātum, uel quattuor dies ad illas nugas permittantur.

16 Prohibeatur, ne uiri cum feminis in balneis lauentur; ſed ſint ſeparata balnea mulierum, quae a mulieribus lauentur, et poenae grauiſſimae habentibus balnea, ſi aliter fecerint; et ipſis, qui ad lauandum cum feminis accedent, conſtituantur: nam huius rei primam fuiſſe reprehenſionem, qua Chriſtiani gentiles arguebant, dicitur in Concilio Laodicenſi cano. xxx.

17 Meretrices non eſſent ad templa admittendae, quo tempore Miſſae celebrantur, cum

omnes

omnes publice criminoſi ab Eccleſia eiicien-di ſint. prohibeantur quoque ad ſtationes ire, cum indulgentiarum ſint incapaces, et multis aſpectu ſuo noceant. eſſent quoque eis omnis ueſtitus ſericus, et gemmae, et ornamenta omnia, quibus nobiles, atque honeſtae mulieres utuntur, interdicenda. nam pauperes adoleſcentulae, cum eas ita ornatas uident, beatas eſſe putant. et ſi fieri poſſet, omnes in unum locum eſſent retrudendae, ut infames mulieres in loco infami morarentur; quo multi ob loci infamiam accedere erubeſcerent.

18 Pugnae illae inſanorum hominum cum Tauris, atque aliis feris, quae ſpeciem habent illorum ludorum gentilium, ad quos ſpectandos aliquando Epiſcopi accedũt, omnino prohibeantur.

19 Vt nota quaedam ab Epiſcopis, et omnibus eccleſiaſticis auferatur, ne ipſi ſeruare frumentum dicantur, quo illud carius uendant; ſtatuatur: ut omne frumentum eccleſiaſticorum uilius aliquanto debeat pauperibus uendi, quam laicorum. id uero intelligatur, ſi libera ſit uenditio laicorum: quod ſi pretium conſtitutum fuerit a iudicibus ſaecularibus, ratio

habeatur ruſticorum, ut ſi ipſi ſterilem meſſem collegerunt, non cogantur uilius frumentum uendere, quam ipſi, omnibus computatis, in meſſe expenderunt. quod ſi laici de facto a iudicibus ſaecularibus cogātur, eccleſiaſtici ei rei, quae iniquiſſima eſt, repugnent; et iuſtum pretium frumenti in Synodo dioeceſana conſtituant; quo ipſi, et eorum cōductores utantur. et ut iniquitas horum iudicum manifeſta ſit, Regem de ea re certiorem faciāt: nam illi haec ſaepe compendii ſui cauſſa faciunt, et coguntur ruſtici agros deſerere, ut damnum uitent. nec cuiquam iuſtum uideri poteſt, ſi meſſis anguſta fuerit, ut frumentum uilius uendatur, ita ut ruſtici damnum patiantur. caueant etiam, tam Epiſcopi, quam alii omnes eccleſiaſtici, et ea de re in Synodo prouinciali moneantur, ne decimas ſuas ſub ſpe horum priuilegiorum carius locent, aut uendant; quarum partem aliqui emunt, ut hoc priuilegio etiam in ſuo frumento abutātur. ex quo ſaepe magna frumenti penuria naſcitur. cui rei efficaciter in Concilio prouinciali conſulendum eſt, ut nullo modo detur iuſta occaſio laicis, praeſertim in hac re, conquerendi de eccleſiaſticis.

Q Quod

20 Quod in uigeſima prima Seſſione capite primo reformationis, de reprimenda notariorum licentia in litteris, quae propter collationem ſacrorum Ordinum cōceduntur, conſtitutum eſt; tractetur etiam in aliis omnibus negotiis curiae eccleſiaſticae, ut praeter operá notarii, Epiſcopus nihil ſigilli cauſſa lucrari debeat. cum ſit indecorum, et indignum benignitate eccleſiaſtica, ut nō omnia negotia cum multo minori impenſa in curia eccleſiaſtica, quam in ſaeculari tractentur.

21 Vbi commodum uidebitur, poterit reuocari decretum Fabiani Papae, ut fideles ter in anno communicent. quod etiam exemplo ſuo doceant Epiſcopi, et omnes presbyteri, frequenter, et in publicis capellis Miſſas celebrando, et aliis libenter, ac facile ſacram Euchariſtiam communicando. quod quidem optimi exempli erit, ſi ab Epiſcopis frequenter in Eccleſiis Cathedralibus fiet.

22 Tractetur de abuſibus aliquarum confraternitatum, et quae reperiētur parum utiles, tollantur.

23 De monialibus ſtatuēdum eſſet, ut cum ad benedictionem offeruntur, in habitu hone

ſto et

ſto, et non nimium ornatae accedant, iuxſta canone 2. quarti Cōcilii Carthaginenſis. alia, quae de ipſis in Concilio Tridentino cōſtituta ſunt, diligentiſſime obſeruentur.

24 De eiſdem diligenter, et efficaciter prouideatur, ut non ſolum clauſae ſint, quod neceſſariū eſt, ſed ut cibus illis ſpiritalis frequenter per uiros bonos, ac pios miniſtretur. quam ob rem prouidendum erit, ut frequenter conciones audiant, et frequenter confiteantur, ac communicent; et ut ab omnibus horae canonicae in choro decantentur.

25 Si ea neceſſitas fuerit Sedis Apoſtolicae, in hiſce conciliis tractetur, quo modo ei recte, et efficaciter conſulatur: ac dignitatis ipſius ratio maxima habeatur, cum qua omnium aliarum Eccleſiarum ſalus, et dignitas coniuncta eſt. nam filii parentes alere, et eorum dignitatem tueri debent; nec ſperare poſſunt Epiſcopi, aut alii omnes eccleſiaſtici, Sedis Apoſtolicae dignitate in periculum adducta, ipſos ſuam dignitatem tueri poſſe.

26 Vt certius Synodus norit res alias, quae reformatione dignae erunt, poterit Metropolitanus quinque, aut ſex uiros, uel quot reperi

re poterit, prudentes, ac Deum timentes ex ſin gulis dioeceſibus, et ex Metropolitana eligere, quos iureiurando adſtringat, ut toti Synodo exponant, quaecumque ſciant in eorum eccle ſiis contra Deum, et Chriſti doctrinam fieri, quae commode in Synodo corrigi poſſint: ut habetur in c. Epiſcopus in Synodo 35. quaeſt. 6. nam, quamuis hoc propriū uideatur eſſe dioeceſanae Synodi, poteſt tamen idem rectiſſime in prouinciali ſeruari.

Haec uniuerſim mihi uiſa ſunt digna notatione, de quibus in Synodis prouincialibus recte, pro cuiuſque prouinciae ratione, decerni poſſit. cetera Reuerēdiſſimi Epiſcopi, ad quos proprie cura haec pertinet, prouidebunt: uerum antequam ad ea, quae in dioeceſana Synodo agenda ſunt, aggrediar, uolo hic aliqua de ordinationibus, et nonnulla alia ad prouinciales Synodos ſpectantia ex Concilio Tridentino decerpta, annotare.

DE ORDINATIONIBVS.

Ordinationum olim magnam curam habitam fuiſſe, ex plurimis antiquis canonibus, et ex li-

ex libello Iſidori, quem hiſce noſtris adiunximus, apparet. ex quo etiam hoc colligitur, in Synodis prouincialibus diligentiſſime de his tractatum fuiſſe, et inquiſitionem fuiſſe factam contra Epiſcopos, et alios, qui in his deliquiſſent; quod etiam nunc omnino reuocandum in uſum eſt. nam propterea, tam accurate de ordinationibus tractatum eſt in generali Concilio Tridẽtino, ut exactiſſime omnia, quae ad ordinationes pertinent, ab Epiſcopis ſeruẽtur. quae quidem omnia, quo facilius ab omnibus intelligantur, et in promptu ſint, cum de his in Conciliis prouincialibus inquiretur, uolui hic annotare.

Duo potiſſimum Sacra uniuerſalis Synodus in hiſce ordinationibus ſpectauit; alterum eſt, ut quantum fieri poſſit, omnes a propriis Epiſcopis ordinentur: alterum eſt, ut canõ ſextus Chalcedonenſis Concilii in uſum, quoad fieri poſſit, reuocetur. ad primum pertinet, quod ſtatuitur cap. 3. reformationis Seſſionis 23, ubi Epiſcopos omnes uult per ſe ipſos ordines ſuis clericis conferre. a quo munere Epiſcopi tantum excuſantur ob aegrotationem, ut tum ſuos ſubditos examinatos, ac probatos per Vicarium,

uel

uel alios ab Epiſcopo ad id deputatos, poſſint ad alios Epiſcopos mittere. unde fit, ut dimiſſoriae, quas uocant, non poſſint nunc ab Epiſcopis, niſi aegrotantibus, concedi. quod ſi ob ſuperbiam, uel aliam quampiam cauſſam, cum neceſſe erit ſuae eccleſiae, ſtatutis temporibus negligat Epiſcopus ordinationes ſollemniter celebrare, erit de eo grauiter in Synodo prouinciali arguendus. quod ſane intelligendum eſt, quando Epiſcopus, et clerici ordinandi in dioceceſi adſint. uerum ſi Epiſcopus, aut clerici ex iuſta cauſſa abſint, et ita neceſſe ſit, ut clerici ab alio, quam a ſuo Epiſcopo ordinentur, tum neceſſe erit, ut ordinandus habeat teſtimonium a ſuo ordinario morũ, ac probitatis uitae cap. 8. eiuſdem 23. ſeſſionis. Epiſcopus uero, qui aliquem ſine hoc teſtimonio ordinauerit, grauiter eſt reprehendendus.

Verum contingit aliquibus bonis ac doctis uiris, qui ſtudiorum, uel alia honeſta de cauſſa diu a ſuo Epiſcopatu abfuerunt, ut Epiſcopus nõ poſſit uere, ac certe de eis teſtimonium exhibere; quibus omnino conſulendum eſt, ut impetrato reſcripto a Sanctiſſimo Romano Põtifice facultatis ordinandi, eiſdẽ ordinatoribus

com-

cōmittatur, ut diligenter a fide dignis hominibus teſtimonium uitae, ac morum ordinandorum in locis, ubi diutius morati fuerint, accipiant. nam niſi hoc permittatur, uel Epiſcopus eis contra conſcientiam teſtimonium praeſtabit, uel illi, quantumuis ſint boni uiri, non poterūt in loco longinquo a patria ipſorum, ubi fortaſſe ob magnam aliquam Reip. utilitatem morantur, ordinari. quae ſane abſurda ſunt, ac propterea eis neceſſario a Summo Pontifice conſulendum eſt. et ne ab ipſo Tridētino Concilio recedatur, in his hoc erit ſeruandum, ut iuxſta caput 11. Seſs. ſeptimae, cauſſae in litteris exprimantur, ob quas a ſuo Epiſcopo ordinari, aut teſtimonium habere nō poſsint. ſed omnino caueatur, ut hoc teſtimonium diligenter accipiatur, et res non trahatur in exemplum, ut paſsim ignotis, et his, qui a ſuis Epiſcopis aufugiunt, facultas ordinandi in curia concedatur.

Abbatibus aufertur omnis huiuſmodi facultas ordinandi clericos ſaeculares ad primā tonſuram, uel minores ordines cap. 10. Seſsionis 23. quae tantum eis conſeruatur reſpectu regularium ſibi ſubditorū. Facultas etiam, quae de iure communi competebat Capitulis, cōcedendi

dendi huiuſmodi litteras dimiſſorias Sede uacante, eis ablata eſt cap.10. ſeſſionis ſeptimae. excipiuntur tamen hi, qui arctati ſunt ad ſuſcipiendos ordines, quibus poteſt Sede uacante Capitulum dimiſſorias dare. quod quidem decretum cap.10. ſeſs.23. repetitum fuit, et expreſſum eſt, ut pertineat ad quoſcumque, qui Sede uacante in iuriſdictione Epiſcopi, loco Capituli, ſuccedunt. quod factum eſt ob aliquos Decanos, et Archidiaconos, qui in aliquibus eccleſiis ſuccedunt in omni iuriſdictione Epiſcopali. in eodē decimo capite aufertur Abbatibus omnis facultas concedendi huiuſmodi litteras dimiſſorias clericis ſaecularibus; regularibus tamen, et ſibi ſubditis poſſunt eas concedere.

Quod attinet ad alterum caput, de reuocando in uſum ſexto canone Concilii Chalcedonenſis, huc pertinet cap.2. reformationis ſeſſionis 21. in quo prouiſum eſt, ne clerici poſt ordinationem nimia egeſtate premi poſſint. et quo ad illos, qui ad beneficium aliquod ordinantur, tametſi tum eis titulus, et locus in ea eccleſia non aſſignetur, re tamen ipſa dici poſſunt, non omnino cōtra illum ſextum canonem ordinari: uerum de illis, qui ad penſionem, uel titulum

tulum patrimonii ordinantur res erat difficilior, et dubium non eſt, in hac parte ab eo ſexto canone ualde fuiſſe receſſum. de quo tamen in cap. 16. ſeſs. 23. fuit ſatis recte conſtitutum; ut hi, qui ſic ordinantur, ne facile uagari poſſint, alicui eccleſiae, uel pio loco aſcribatur. uerum mirum non eſt, cum nunc multo maior numerus eccleſiaſticorum ad regendam Eccleſiam Catholicam ſit neceſſarius, quod ab eo canone aliquando recedatur. quod quidem ferri poteſt, modo hi, qui ordinantur, uita, et moribus ſuis ordinem eccleſiaſticum honeſtent. capite etiam nono eiuſdem ſeſs. in quo permittitur Epiſcopis, ut familiares ſuos, aliis Epiſcopis ſubditos ordinare poſſint, tamen hoc ei ita conceſſum eſt, ut omnino iuxta illum ſextum canonem, illis in ipſa ordinatione beneficium aliquod conferant. prima tonſura non ſunt initiandi, niſi qui ſacramentum confirmationis ſuſceperint, et illis dotibus ſint praediti, de quibus fit mentio in cap. 4. ſeſs. 23.

Minores ordines recte per temporum interſtitia his, qui ex Seminario aſſumentur, atque aliis iunioribus conferentur; ita, ut a ſingulis ſua officia in eccleſia exerceantur, iuxta cap. 11.

 et 17.

et 17. ſeſſionis 23. uerum maioribus natu, et doctioribus poterunt ſine illa mora cōferri: nam propterea relictum fuit hoc arbitrio Epiſcopi, ne grandiores, qui in aliis rebus poſſunt eſſe Eccleſiae utiles, in hiſce rebus diutius detineātur. quod etiam in aſcenſu a ſubdiaconatu ad diaconatum, et ab hoc ad presbyteratum annotatur. uerum cap. 13. ſeſs. 23. omnino prohibetur, ne duo ſacri ordines eodem die, etiam regularibus conferantur.

Ad ſubdiaconatum nemo eſt admittendus ante ſecundum et uigeſimum annum, ut eſt in cap. 12. ſeſs. 23. et in hoc gradu praecipuum debet eſſe examen uitae ac morum, et in primis continentiae. ita, ut quantumuis doctus ſit aliquis, ſi adoleſcentiam incontinenter egerit, nullo modo ad ſubdiaconatū, in quo primum caſtitatem uouere debet, admittatur. nam ob hanc potiſſimum cauſſam placuit Patribus, neminem ante 22. annum ad ſubdiaconatum admitti, ut ex continentia, quam in adoleſcentia conſeruaſſent, argumentum ſumi poſſet totius uitae deinceps cōtinenter tranſigendae. quod in regularibus etiam obſeruari debet. de his, atque aliquibus aliis ad hanc rem pertinentibus,

bus, quae in decretis Synodi Tridentinae continentur, inquiratur in Concilio prouinciali, ſi Epiſcopi, Abbates, Capitula, uel alii in his deliquerint: et de hac re diligentiſſime agatur, ita, ut delinquẽtes grauiſſime puniantur. nam hinc, tamquam a fonte manat omnis rerum eccleſiaſticarum ordo, ac recta adminiſtratio, uel econuerſo.

INDICATIO EORVM, QVAE IN Synodo Tridentina ad Concilia prouincialia referuntur.

Seſs. 23. in decreto de reſidẽtia ſtatuitur: ad Metropolitanũ cum Concilio prouinciali ſpectare, iudicare de licentiis a ſe, uel a ſuffraganeo datis, et uidere, ne quis eo iure abutatur.

In fine dicitur: illud decretum de reſidentia in Synodis prouincialibus, et epiſcopalibus publicandum eſſe.

In ultimo capite de Seminario ſtatuitur. Archiepiſcopum, et ſuperiores Synodus prouincialis acriter corripere, eosq. ad omnia ſupradicta cogere debet. In eodem datur facultas Synodo prouinciali, ut, ſi Epiſcopatus paupertate

 labo-

laborant, poſsint ex portionibus ſumendis a pluribus Epiſcopatibus unicum collegium in loco prouinciae idoneo conſtituere.

In fine eiuſdem, datur ampliſsima facultas Synodo prouinciali, pro regionis more, et ecclesiarum, ac beneficiorũ qualitate, moderandi, et augendi omnia, quae ad felicem Seminarii profectum neceſſaria, et opportuna uidebuntur.

Seſs. 24. cap. 1. decernitur, ut in Synodo prouinciali praeſcribatur in una quaque prouincia propria examinis, ſeu inquiſitionis, aut inſtructionis faciendae formula de promouendis ad Eccleſias Cathedrales, Sanctiſſimi Romani Pontificis arbitrio approbanda.

Capite tertio ſtatuitur: ut in Synodis prouincialibus cognoſcatur, et probetur cauſſa, ob quam Cathedrales, et dioeceſes ſuffraganeorum a Metropolitanis uiſitari debeant.

In eodem dicitur: cõtra uiſitatores, qui amplius, quam iuſtum eſt accipiunt ratione uiſitationis, poenas ſtatuendas eſſe arbitrio Synodi.

Cap. 5. minores cauſſae criminales Epiſcoporum in prouinciali Synodo cognoſcendae, et terminandae ſunt, uel a deputatis per prouin-

ciale

ciale Concilium.

Cap.12. Omnia, quae ad debitum in diuinis officiis regimen ſpectant, deq. congrua in his canendi; ſeu modulandi ratione, de certa lege in choro conueniendi, et permanendi, ſimulq. de omnibus eccleſiae miniſtris, quae neceſſaria erunt, et ſi qua huiuſmodi, Synodus prouincialis, pro cuiuſque prouinciae utilitate, et moribus, certam cuique formulam praeſcribet.

Cap.13. in Eccleſiis Cathedralibus tenuibus examinet Concilium prouinciale, uocatis his, quorum intereſt, et diligenter expendat, quas propter anguſtias, tenuitatemq. uicinis unire, uel nouis prouentibus augere expediat, confectaq. de praemiſſis inſtrumenta ad Summum Romanum Pontificem mittat.

Cap.18. examinatores promouendorum ad eccleſias parrochiales, poſſunt uocari ad Synodum prouincialem, ſi aliqua accuſatio contra ipſos oriatur, ut ibi rationem ſui officii reddant. et delinquentes Synodi arbitrio grauiter puniri poſſunt.

Seſſ.25. in cap. de inuo. uenera. et reliquiis ſanctorum. De imaginibus, et reliquiis, ſi quis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, uel

aliqua

aliqua de ipſis grauior quaeſtio incidat, debet expectari ſententia Concilii prouincialis.

Cap. ultimo refor. Regularium: in exequendis decretis reformationis, regularium negligentiam Epiſcoporum Concilia prouincialia debent ſupplere, et coercere. et in defectum Capitulorum generalium eadem Cōcilia poſſunt prouidere.

Capite 2. generalis reformationis: omnes, quos de iure, uel conſuetudine intereſſe oportet Synodis prouincialibus, debent omnia decreta Synodi Tridentinae palam in prima Synodo prouinciali, in qua ipſi aderunt, recipere, et obedientiam Romano Pontifici ſpondere; et anathematizare omnes haereſes.

Cap. 10. in Synodis prouincialibus, uel dioeceſanis eligi debent iudices, quibus cauſſae a Sanctiſſimo committantur.

Cap. 14. Epiſcopos, ſi cōcubinas habuerint, Synodus prouincialis moneat, et ſi perſeuerēt, crimen ad Sanctiſſimum deferatur.

In decreto de indulgētiis: abuſus indulgentiarum in prima prouinciali Synodo a ſingulis Epiſcopis referendi ſunt, ut ad Summum Romanum Pontificem deferantur; cuius auctori

tate,

tate, quod Vniuerſali Eccleſiae expediet, ſtatuatur. Nunc ad ea, quae de Dioeceſanis Synodis dicenda ſunt, aggrediamur.

In dioeceſana Synodo ea omnia poterunt conſtitui, quod ad eam dioeceſim pertinebit, quae ſupra in prouinciali diximus poſſe decerni. res tamen difficiliores relinquendae erunt Conciliis prouincialibus, ut cum maiori auctoritate, de ſententia plurium Epiſcoporum, et ſapientiſſimorum hominum cōſtituantur. antiquiſſimam dioeceſanarum Synodorum, exiſtimo eſſe Antiſidorenſem. eſſe uero dioeceſanam ex eo apparet, quia unicus tantum Epiſcopus ei ſubſcribit, reliqui omnes ſunt Abbates, ac presbyteri. quin etiam in canone ſeptimo ſic ſtatuitur: ut omnes presbyteri, et omnes Abbates in ciuitatem Kal. Nouembris ad Synodum ueniant. ad Synodum uero prouincialem non omnes presbyteri, neque omnes Abbates, ut ſupra dixi, ſed probatiſſimi quique, quos Metropolitanus eligebat, admittebatur. ad haſce quoque Synodos pertinet c. annis ſingulis. 18. diſt. Ac ſane olim nullā grauiorē cauſſam tractabant Epiſcopi, ſine hoc ſuorum preſbyterorum cōcilio, ut eſt expreſſum in c. ſexta

Incipit tractatus de Synodis Dioecesanis

actione

actione c. Epiſcopus et finali 15. quaeſt. 7. quod omnino reuocandum erit a bonis, et aequis Epiſcopis, tum ſcilicet, quando meliores canonicos, et parochos habebunt. ad dioeceſanam ergo Synodum uocandi ſunt omnes Parochi, Abbates, Priores Ordinum, maxime ſi habent aliquas parochiales ſuis monaſteriis unitas, et canonici eccleſiae Cathedralis, illi quidem, qui ad ſacros ordines promoti erunt, et eccleſiam nullo ſcandalo laeſerint. nam illi, qui ſacris nō ſunt initiati, aut alias aliquo ſingulari uitio notati fuerint, ad nullam rem grauiorem eccleſiaſticam admitti debent: a qua etiam probatiſſimi alii ſacerdotes non ſunt excludendi. nā, tametſi in illis canonibus legamus omnes preſbyteros uocandos eſſe, ſatis eſt, ſi ex una quaque parochia ille, qui caput eſt, accedat, cum omnes uenire non poſſint; et ut probatiſſimi quique Sacerdotes Eccleſiae Cathedralis admittantur: nam alii potius perturbarent Synodum, quam iuuarent. Ac ſane in hac electione, et admiſſione presbyterorum ad Synodum dioeceſanam, neceſſario multum tribuendum eſt Epiſcopis, ſicut de Metropolitano diximus, cum de Conciliis prouincialibus tractauimus.

nam omnes ſacerdotes Eccleſiae Cathedralis admitti non debent, et qui ſint idonei, ut admittantur ex Cathedrali, uel ex dioeceſi, nemo poteſt melius, quam Epiſcopus iudicare. ſed uideant Epiſcopi, ut praeter parochos, et canonicos, nō eligant, niſi probatiſſimos aliquos ſacerdotes, ac doctos. nam ſi aliter fecerint, eis iuſte, ſicut de Metropolitano diximus, repugnari poterit. Verba illa decreti Synodi Tridentinae: ad quas exempti etiam omnes, qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent, ad aliquos eorum, quos ſupra dixi, huic Synodo intereſſe debere, pertinēt; ſi ob exemptionē dicerent, ſe nolle in Synodo adeſſe. illa alia: nec capitulis generalibus ſubduntur, pertinēt ad eos regulares, qui non habent capitula generalia; ut illi, et uocati accedere teneantur, et ea debeant obſeruare, quae in hiſce Synodis cōſtituentur. quibus etiam uerbis, quicumque commendatarii comprehenduntur, quod attinet ad illud caput, ut obedire decretis Synodi debeant. nam, quod admittendi ſint ad Synodum, commenda eos iuuare non poteſt, niſi alias ob honeſtatem uitae, ac morum uideantur admittendi. illi uero Abbates, uel priores,

qui ſua Capitula generalia habent, non cogun tur uenire ad Synodum, ut, eſt expreſſum in c. Epiſcopus non debet 18. diſt. et c. nimis de exceſſib. praelatorum. nam hac exceptione Synodus potiſſimum uoluit conſulere fratribus mendicantibus, ne ea, quae ab ipſis in Capitulis generalibus conſtituentur, per decreta Synodorũ tollantur. quod intellige reſpectu ipſorum fratrum, et monaſteriorum, in quibus habitant: nam ratione capellarum, quas unitas habent, tenentur obſeruare cõſtitutiones Synodales, ut infra in eodem decreto ſtatuitur, his uerbis. Ratione tamen Parochialium etc. nouum enim non eſt, ut quis ſit exemptus ratione ſui monaſterii, et capitis, ratione uero annexorum, et membrorum non ſit exemptus; ut expreſſe habetur in c. ex ore de priuil. ad hoc pertinet, quod Vrbanus ii. in Concilio apud Rauentiam habito decreuit. ſtatuendum nobis eſt, quatenus eccleſiae quorumcumque monachorum in ſingulis parochiis ſitae, Epiſcoporum, ut decet, diuinitus ſubdantur regimini, eiſq. debita obſequia exhibeant. nam nomine obſequiorum haec obedientia, de qua nunc tractamus, rectiſſime intelligi poteſt. ad idem

pertinet

pertinet c. Abbates cum c. fi. 18. quaeſt. 2. uerum quia dubitari poterat, an ea uerba generalia referri deberent ad hanc uocationem conciliorum, propterea fuit hoc expreſſe conſtitutum. ad quod pertinet c. quod ſuper his cum ipſius gloſſ. de maio. et obed. quod in eo loco ab Innocentio, et Panormitano notatur. Praeter ea, quae ex iure antiquo, et cõmuni tractari poſſunt in huiuſmodi Synodis, decretum eſt in Concilio Tridentino, ut tria, quae maximi momenti ſunt, in eis agantur. Primum, ut in hac Synodo eligantur examinatores promouendorum ad eccleſias parochiales, de quo in cap. 18. reforma. ſeſsionis 24. alterum, ut in ea poſſit id, quod pium, et honeſtum fuerit, prouideri in eccleſiis, quae onere dicendi infinitas miſſas preſſae reperiuntur, ut eſt in capite 3. reformationis ſeſsionis 25. Tertium, ut in ea eligantur iudices, quibus cauſſae a Sede Apoſtolica committi poſsint, ut eſt in cap. 10. eiuſdem 25. ſeſsionis. itaque, etiam ſi alia, quàm haec non agerentur, non eſſet futura inutilis haec cõuocatio Synodorum dioeceſanarũ. in ea praeterea agi poterunt multa, quae ad reformandam totam dioeceſim pertinebunt. In quibus,

ut recte agi omnia poſsint, Epiſcopus praeter eam notitiam, quam habebit eorum, quae reformatione indigent, poterit ſeptem ex populo ſuae dioeceſeos, uel plures, aſſumere maturiores, honeſtiores, atque ueraciores uiros, quos poterit iureiurando aſtringere, ut quidquid norunt, ſeu audiuerunt contra uoluntatem Dei, et rectam Chriſtianitatẽ in ea dioeceſi fieri, Synodo indicent, ut habetur in c. Epiſcopus in Synodo 35. qō. 6. de quo etiam ſupra dixi, cum de Synodo prouinciali tractaui. quod ſi in omnibus, quae tractauimus, tam Metropolitani, quam Epiſcopi, et alii negligentes fuerint, uult ſancta Synodus, eos poenas ſacris canonibus ſancitas incurrere. Epiſcopos, atque alios, qui uenire ad Synodum debent, ſi uenire neglexerint, uideo poena excommunicationis obligari c. placuit c. ſi quis autem cum multis, ſequen. 18. diſtin. quod ſi Metropolitanus nolit, uel non poſsit Synodum prouincialem conuocare, id Epiſcopus antiquior faciet, uel Epiſcopi, ut ſupra dixi, per ſe conuenire poterunt. uerũ, ſi Epiſcopus in Synodo dioeceſana conuocanda negligens fuerit, poterit de eo grauiſsime in Concilio prouinciali accuſari, cum

Aduerte

utilitatem Eccleſiae ſuae negligat; maxime propter ea tria, quae iuxſta Concilium Tridentinũ in hiſce Synodis agenda ſunt: in iure tamen antiquo, non uideo propriam aliquam poenam ob hanc negligentiam Epiſcoporum, ipſis eſſe conſtitutam.

ISIDORI ORDO DE CELEBRANDO CONCILIO.

HORA diei prima ante ſolis ortum, eiiciantur omnes ab eccleſia, obſeratiſq. foribus cunctis, ad unam ianuam, per quam ſacerdotes ingredi oportet, hoſtiarii ſtabunt. et conuenientes, omnes Epiſcopi pariter introibunt, et ſecundũ ordinationis ſuae tempus reſidebunt. poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum, atque conſeſſum, uocentur deinde presbyteri, quos cauſſa probauerit introire, nulluſq. ſe inter eos ingeret diaconorum. poſt hos, ingrediantur diacones probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe.

eſſe. et corona facta de ſedibus Epiſcoporum, presbyteri a tergo eorum reſideant, quos tamen ſeſſuros ſecum Metropolitanus elegerit; qui utique, et cũ eo iudicare aliquid, et diffinire poſſint: diacones incõſpectu Epiſcoporum ſtent. deinde ingrediantur laici, qui lectioni Cõcilii intereſſe meruerint. ingrediantur quoque notarii, quos ad recitandum, uel excipiendum ordo requirat. obſeratisq. ianuis, et ſedentibus in diuturno ſilentio ſacerdotibus, atque cor totum habentibus ad Deum, dicturus eſt Archidiaconus, orate. ſtatimq. omnes in terram proſtrabuntur, tam Epiſcopi, quam preſbyteri. et orantes diutius tacite cum fletibus, atque gemitibus, unus ex Epiſcopis Senioribus orationem palam fundat ad Deum, cunctis adhuc in terra iacentibus, dicens hanc orationem. Adſumus domine ſancte Pater, peccati quidem inmanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpiritualiter aggregati, ueni ad nos, et eſto nobiſcum, et dignare illabi cordibus noſtris; doce nos, quid agamus, quo gradiamur, et oſtẽde, quid efficere debeamus, ut te auxiliante, tibi in omnibus placere ualeamus. eſto ſalus, et ſuggeſtor, et effector iudiciorum noſtrorum,

qui

qui ſolus cum Deo Patre, et eius Filio nomen poſſides glorioſum: non nos patiaris perturbatores eſſe iuſtitiae; qui ſummam diligis aequitatem. ut in ſiniſtrum nos non ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio muneris, uel perſonae corrumpat; ſed iunge nos tibi efficaciter ſolius tuae gratiae dono, ut ſimus in te unum, et in nullo deuiemus a uero. qualiter in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iuſtitiam, ut et hic a te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, et in futuro pro bene geſtis conſequamur praemia ſempiterna. in qua oratione paterna non dicatur, nec benedictio; ſed ipſa ſolum modo oratio confirmetur. finita autem oratione, et reſponſo ab omnibus Amen, rurſus dicat Archidiaconus: erigite uos. confeſtim omnes ſurgant, et cum omni timore Dei, et diſciplina, tam Epiſcopi, quam presbyteri ſedeant. ſicq. omnibus in ſuis locis in ſilentio conſedentibus, Diaconus alba indutus codicē canonum in mediū proferens, capitula de conciliis agendis pronunciet: ideſt de Concilio Toletano 4. era 18. item ex Concilio Toletano 4. era 3. item ex capitulis oriētalium Patrum, quae Martinus

Epiſcopus

Epiſcopus de graeco in latinum uertit, era 18.
de Synodo facienda. item ex Concilio Chalce-
donenſi, era 18. item ex Concilio Agathenſi, era
25. uel aliud de canonibus, quod Metropolita
no aptius uiſum fuerit, ut legatur. finitisq. titu
lis, Metropolitanus Epiſcopus Concilium allo
quatur exhortatione, ita dicens.

Ecce ſanctiſſimi ſacerdotes, praemiſſis Deo
precibus; fraternitatem ueſtram cum pia ex-
hortatione conuenio, et per diuinum nomen
obteſtor, ut ea, quae a nobis de Deo, et de ſa-
cris ordinibus, uel ſanctis moribus uobis fue-
rint dicta, cum omni pietate ſuſcipiatis, et cum
ſumma reuerentia perficere intendatis. quod
ſi forſitā aliquis ueſtrum aliter, quam dicta fue
rint ſenſerit, ſine aliquo ſcrupulo contentio-
nis, in noſtrorum omniū copulatione ea ipſa,
de quibus dubitauerit, conferenda reducat;
qualiter, Deo auxiliante, aut doceri poſſit, aut
doceat. deinde ſimili uos obteſtatione obſe-
cro, ut nullus ueſtrum in iudicando, aut per-
ſonam accipiat, aut quolibet fauore, uel mune
re pulſatus a iuſto iudicio ſcienter auertatur,
aut diſcedat; ſed cum tota pietate, quidquid
caetui noſtro ſe iudicandum intulerit, retra-
ctate.

ctate. ut nec diſcordans contentio ad ſubuer-
ſionem iuſtitiae inter nos locum inueniat, nec
idem in perquirenda aequitate uigor noſtri or
dinis, uel ſollicitudo tepeſcat. Poſt hanc exhor
tationem introibunt omnes, quicumque fue-
rit Diacones, uel religioſi uniuerſi ad audien-
dam doctrinam. ſicq. Archidiaconus lecturus Archidiaconus
eſt canonem Toletani Concilii xi. era, prima, qd debeat legere.
ne tumultu concilium agitetur. quo canone
perlecto, Cõcilium Epheſinum ex ordine per-
legatur; deinde collatio pariter, et inſtructio
de myſterio Sanctae Trinitatis habeatur; ſi-
mulq. et de officiorũ ordinibus, ſi in omnium
ſedibus, eiuſdem celebritatis unitas teneatur.
pro his quoque cauſſis, prout ſpatiũ diei permi
ſerit, et epiſtolae Papae Leonis ad Flauianum
Epiſcopum, de erroribus Eutychetis, et myſte-
rio Trinitatis legendae ſunt, Canones quoque
de unitate officiorum; nec ad aliud aliquid an-
tea tranſeatur, quam iſta omnia explicentur.
Ita tamen, ut in totos tres dies Letaniarum, ni
hil aliud agatur, nec tractetur, niſi ſola collatio
de myſterio Sanctae Trinitatis, et de ordini-
bus ſacris, uel officiorum inſtitutis. ita, ut haec
tota partiantur per totos illos tres dies; ut nihil

aliud ſit, ut dictum eſt, niſi ſola quaeſtio de his, quae praedicta ſunt habeatur. ita, ut lectio ſem per cõgruens ordini, et cauſſae, quae quaerenda eſt, antecedat. Poſt haec, in quarto die reliquae cauſſae per ordinem admittendae ſunt. ſicq. omnes, qui de religioſis in retroactis diebus pro ſpirituali inſtructione interfuerant in Concilio, foras egrediantur, reſidentibus aliquibus presbyteris in Concilio, quos Metropolitanus probauerit honorandos. per ſingulos tamen illos tres dies Letaniarum, Epiſcopi, et presbyteri cum admonitore, primum in orationibus ſe proſternent, ſicq. collecta à Metropolitano oratione, conſurgant, et de diuinis tantum, ut dictum eſt, rebus collatio habeatur. in reliquis autem diebus, cunctis adſtantibus, oratio colligenda eſt: et ſic cõſedentes cauſſarum negotia iuſte, et religioſe colligant. nullus tamen tumultus, aut inter conſidentes, aut inter adſtantes habeatur. eodem tamen modo, eodemq. ordine ad Concilium omnes per ſingulos dies ingrediantur, quo ſuperius iam praemiſſum eſt. nam ſi presbyteri reliqui, aut diaconi, clerici, ſiue laici, de his, qui foris ſteterint, Concilium pro qualibet re crediderint appel-

landum,

landum, Eccleſiæ Metropolitanae Archidiacono cauſſam ſuam intiment, et ille Concilio denunciet. tunc illis, et introeundi ſingulatim, et proponendi licentia concedatur. nullus autem Epiſcoporum a coetu communi ſecedat, antequam hora generalis ſeſſionis adueniat. Concilium quoque nullus ſoluere audeat, niſi fuerint cuncta determinata. ita, ut quaecumque deliberatione communi finiuntur, Epiſcoporum ſingulorum manibus ſubſcribantur. ita tamen, ut ante duos, aut tres dies, quam ſoluatur Concilium, omnes conſtitutiones a ſe editas diligenti conſideratione retractent, ne in aliquo offendiſſent. item in die, quo Concilium abſoluendum eſt, canones, qui in ſancta Synodo cõſtituti ſunt, coram eccleſia in publico relegantur. quibus explicitis, reſpondeatur in choro, Amen. deinde ad locum redeuntes, ubi in Concilio reſederunt, canones ipſos ſubſcribant. admonendi quoque a Metropolitano ſunt, de Paſcha uenturo, quo ueniat die. admonendi ſunt etiam, quo tempore, ſuperuenienti anno, ad faciendum Cõcilium ueniant. Eligendi etiam de Epiſcopis, qui cum Metropolitano dies feſtos Natalis Domini, et ſanctũ

Paſcha debeant celebrare. poſt haec dicente Archidiacono, orate: omnes ſimul in terra pariter ſe proſternant, ubi diutiſſime orantes, hanc unus ex maioribus orationem dicat.

Nulla eſt domine humanae cōſcientiae uirtus, quae inoffenſe poſſit tuae uoluntatis iudicia expedire. et ideo, quia imperfectū noſtrum uiderunt oculi tui, perfectioni deputa quaeſumus, quae perfecto aequitatis fine concludere peroptamus. te in noſtris principiis occurſorem popoſcimus, te quoque in hoc fine, iudiciorum noſtrorū exceſſibus adeſſe precamur: ſcilicet, ut ignorantiae parcas, ut errori indulgeas, ut perfectis uotis perfectam operis efficaciam largiaris. et quia conſcientia remordente tabeſcimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut praeceps forſitan uoluntas impulerit iuſtitiam declinare; ob hoc, te poſcimus, te rogamus, ut, ſi quid offenſionis in hac Cōcilii celebritate attraximus, cōdonare, ac remiſſibile facere digneris, ut in eo, quod ſoluturi ſumus aggregatum Cōcilium, a cunctis primum abſoluamur noſtrorum nexibus delictorum. qualiter, et tranſgreſſores uenia, et confitentes tibi, ſubſequatur remuneratio ſempiterna.

huic

huic orationi paterna adiungatur, et cunctis adhuc iacentibus, haec Benedictio explicetur.

BENEDICTIO.

Chriſtus Dei filius, qui eſt initium, et finis, complementũ uobis tribuat caritatis, Amen. Et qui uos ad expletionem huius fecit perueni re Concilii, abſolutos uos efficiat ab omni con tagione delicti. ut de omni reatu liberiores effecti, abſoluti etiã per donum Spiritus Sancti, felici reditu ueſtrarum ſedium cubilia repetatis illaeſi, Amen. quod ipſe praeſtare dignetur, et reliqua. quibus expletis, dum dictum fuerit ab Archidiacono: in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti eamus cum pace. omnes illico pariter exſurgentes, reſidente Metropolitano, ab ipſo primum incipiẽtes, oſculum ſibi inuicem omnes pariter dabunt. ſicq. data ſibi inuicem pace, conuentus Concilii abſoluatur.

ORATIO DIEI SECVNDI.

Noſtrorum tibi Domine curuantes genua cordium, quaeſumus, ut bonum, quod nobis

a te

a te requiritur, exequamur. ſcilicet, ut prompta tecum ſollicitudine gradientes, diſcretionis arduae ſubtile iudicium faciamus, ac miſericordiam diligentes, clareamus ſtudiis tibi placitae actionis.

ORATIO DIEI TERTII.

Ad te domine interni clamoris uocibus proclamantes, unanimiter poſtulamus, ut reſpectu tuae gratiae ſolidati, praecones uirtutis efficiamur intrepidi, tuumq. ualeamus uerbum cum omni fiducia loqui.

Hae duae orationes referendae uidentur ad ſecundum, et tertium illorum trium dierum, in quibus collatio de fide, et doctrina habenda eſt. nam eo in loco tantum expoſuit orationem diei primi.

DE VARIIS COLLEGIIS, AD VTILITATEM PVBLICAM CONSTITVENDIS.

CVM Lutetiae, ac Louanii ſtudiorum cauſſa eſſem, in quibus Academiis magna eſt collegiorum, in quibus pueri inſtituuntur, multitudo; ſaepe in hanc cogitatione incidi, uix fieri poſſe, ut nobiles, atque honeſtis parentibus nati pueri alibi, quá in collegiis recte educentur, atque inſtituátur. nulla enim eſt, non ſolum illuſtris, ſed nec mediocris familia, in qua a ſeruis, et famulis, non multa pueris ad uitia incitamenta, et ad ſtudia, atque honeſtaté impedimenta pueris exhibeantur: a quibus omnibus hi, qui in collegiis uiuunt, ſi recte illa gubernétur, prorſus abſunt. uerum, cum multa in illis collegiis Lutetiae, ac Louanii eſſent, quae mihi ualde probabantur, erant etiam alia, quae mihi uehementer diſplicebant. et haec in primis, quod auaritiae potius, quá caritatis ſtudio uidentur in eis omnia fieri; quod in pleriſque collegiis minima cura habetur inſtitutionis morú, cum

illi,

illi, quos Burſarios uocant, qui magiſtri, et inſpectores omnium, quae a pueris fierent, ut eos corrigerent, eſſe deberēt, nihil hoc curent; modo menſtruum ſalarium illis non deſit. et quod his omnibus peius eſt, quod infecti haereſi ſaepe ad docendum, et inſtituendum alios admittuntur. unde euenit, ut multi nobiles pueri in hiſce collegiis ob hanc negligentiam corrupti fuerint. nam cum haeretici noſtrorū negligentiam uiderent, et facile per unum magnam puerorum multitudinē corrumpi poſſe intelligerent, eo, tamquam in mercatum quendam ſuos mittebant, ut quos poſſent pueros bonis diſciplinis inſtitutos corrumperent, et ad ſe allicerent. quod ego uirum optimum, ac religioſiſſimum presbyterum Picardum Lutetiae de ſuggeſtu cum magno dolore praedicantem, et, ut tanto malo remedium adhiberetur, implorantem audiui. quod ſi factum, ut decebat, fuiſſet, fortaſſe non in eas calamitates Galliam, in quibus nunc eam uidemus, incidiſſet. ſed ad rem noſtram redeamus. ab illo tempore cogitare coepi, quod etiam tum ſcriptis mandaui; in quauis mediocri ciuitate neceſſarium eſſe aliquod collegium, in quo hi, qui ſacris

initiandi

initiandi eſſent, et nobiliores pueri educarentur. In quo opto praecipua rationem morum, et uitae haberi, et ut litteris latinis, et graecis, ac dialectica, ſi fieri poteſt, pueri imbuantur: in quibus ſtudiis cõmode uſque ad adoleſcentiam uerſari poſſunt, qui, ſi apti poſtea uideantur, poterut ad nobiliores Academias mitti, ut in eis omni genere bonarum artium inſtruantur, de qua re latius poſtea tractabimus. ſed ad meam illam de hiſce collegiis cogitationem re uertor. cum ego eam ſaepius uerſarem, omnia, quae ad hanc rem facere uidebam, Concilia, et ueteres auctores uolutans, annotabam. quam cogitationem, cum uenilſe quoque in mentem Patribus, qui Tridenti Concilii cauſſa erant, uidiſſem; tum uero uehementer fui delectatus, et uidi meam illam cogitationem non omnino inanem fuiſſe. itaque cum Tridenti, quo me Pius IIII Pontifex Max. miſerat, tum prae ſens eſſem, quos poteram, ut id omnino fieret, adhortabar: et nonnullis, quibus res quidem ipſa placebat, ſed difficilis eius rei efficiendae ratio uidebatur, pollicitus ſum, me rationem hanc totam explicaturum, quod in ea magnam cogitationem poſuiſſem. Quare, cum id

V debere

debere amplius non poſſim, ad eam rem tractanda diuino auxilio fretus aggredior. Olim, cum primum pax data fuit Chriſtianorum Eccleſiis, et Eccleſiae ipſae reditus aliquos habuerunt, conſueuiſſe in eis haberi collegia, in quibus pueri ſacris initiandi inſtituerentur, multa nobis antiquitatis monumenta demonſtrant. In primis canon 23. Concilii Toletani quarti. Prona eſt omnis aetas ab adoleſcētia in malum: nihil enim incertius, quam uita adoleſcētium. ob hoc conſtituendum, oportuit, ut ſi qui in clero puberes, aut adoleſcētes exiſtunt, omnes in uno conclaui atrii commorentur, ut lubricae aetatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis eccleſiaſticis agant. deputato probatiſſimo ſeniore, quem et magiſtrum diſciplinae, et teſtem uitae habeant. quod, ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, ſacerdotali tutela foueantur, ut et uita eorum a criminibus intacta ſit, et res ab iniuria improborum. qui autem his praeceptis reſultauerint, monaſteriis deputentur, ut uagātes animi et ſuperbi, ſeueriori regula diſtringantur. Idem cap.1. Concilii 2. Toletani ſignificatur. De his, quos uoluntas parentum a primis infantiae annis in clericatus officio, uel mo

nachali

nachali poſuit, pariter ſtatuimus obſeruandū,
ut mox, cùm detonſi, uel miniſterio electorū
contraditi fuerint, in domo Eccleſiae ſub Epi-
ſcopali praeſentia, a praepoſito ſibi debeat eru
diri. haec enim domus Eccleſiae, in qua electi
clerici a praepoſito, hoceſt a ſcholaſtico erudie
bantur, eſt collegium, de quo in decreto Syn-
odi Tridentinae tractatur. itaque non noua eſt
haec res, et tractatio, ſed antiquiſſima. nā hoc
Toletanū ſecundum Concilium tempore Ioan
nis ſecundi habitum fuit, qui uixit anno Do-
mini D XXXII. in quo hoc, tamquam uſu
antiquo receptum exponitur, non ut fiat, decer
nitur. hi uero clerici, qui in illis conciliis in do
mo, uel in atrio eccleſiae educari dicuntur, ab
aliis recentioribus, ut ab Iſidoro, quod etiam
in pontificali ſaepe repetitur, et a Carolo ma-
gno ſchola nominantur. quorum munus erat,
ut cum primum grammaticam, et cantum edo
cti eſſent, in Eccleſia deſeruirent; et in ea Ec-
cleſiae domo, ſiue ſchola omni genere eccleſia
ſticae diſciplinę imbuerętur. loca igitur de hac
re ex illo fragmento Caroli magni de ritibus ec
cleſiaſticis recitabo, nam illa, quae in pontifica
li reperiuntur, ſunt ualde multa, et a quouis fa

cile inueniri poſſunt. referens ea, quae in ſollemnitate ſabbati Sancti fiunt, ait: et cum dixerit ſchola Agnus Dei, dicat cantor alta uoce: accedite. Idem referens ritum Eccleſiae in Miſſa Paſchae: ibiq; inchoat ſchola Kyrieleiſon, et eo concentu peruenitur uſque ad altare. ſcholam itaque appellat Carolus magnus illos clericos, qui in domo Eccleſiae omni eccleſiaſtica diſciplina inſtruebantur, et ſimul in eccleſiaſticis miniſterijs Eccleſiae ſeruiebant. cuius conſuetudinis adhuc remanent ueſtigia aliqua in Hiſpaniae Eccleſijs. nam fere omnes Cathedrales ſcholaſticos habent, qui huic ſcholae praeerant, de quibus poſtea dicemus, et pueri aliquot ſumptu Eccleſiae aluntur, qui tantum ad canendum, et caereos ferendum deſeruiunt; cum tamen nulla ratio inſtitutionis, et uitae ipſorum habeatur. morem ergo antiquũ, qui in his pueris inſtituendis ſeruari conſueuerat, uolens Sancta Synodus Tridẽtina reuocare, et meliorem etiam efficere, recte ea, quae in decreto ultimo ſeſ.23. continentur, ſtatuit. experimẽto enim quodam multi Patrum rem hanc Eccleſiae maxime utilem fore, docebant; quia, cum Ioannes Mattheus, uir omni genere uir-

tutum

tutum cumulatiſſimus, in Eccleſiam Veronenſem, cuius Epiſcopus erat, hanc conſuetudinem induxiſſet; breui, non ſolum clericos, ſed uniuerſam illam ciuitatem multo meliorem effecit. quod, cum Reginaldo Polo Cardinali praeſtantiſſimo uehementer probaretur, id ipſum, tamquam praecipuum quoddam caput in libellum quẽdam retulit, quem de Angliae reformatione, cum Legatus eius prouinciae eſſet, ſcripſit, quod fuit ab omnibus Angliae Epiſcopis approbatũ. Porro in decreto rectiſſime cautum eſt, ut pecunia illa, quae huic collegio conſtituendo, et gubernando neceſſaria erit, repraeſentari poſſit, in quo eſt neruus, et ſumma totius huius negotii; ſed de ratione gubernandi haec ipſa collegia, neque dictum eſt quidquam, neque dici commode poterat; ſed omnia arbitrio Epiſcoporum ſunt demandata. uerum quia huiuſce rei efficiendae ratio, nõ ita expedita omnibus uidebitur, uolo hic aliqua, quae ad eam efficiendam pertineant annotare. manifeſtum eſt eam domum, quae apta et commoda ſit ad huiuſmodi collegium, non poſſe confeſtim aedificari. quare, ut primo quoque tempore aliquis fructus ex hoc Seminario percipiatur,

cipiatur, uellem ſtatim amplam aliquã domum conduci, in quam non ſolum pueri, ſed grandiores, et ſacris initiati recipiantur. nam hi, ſi grammaticae praeceptis imbuti fuerint, poterunt rationem, et modum recte tractandi ſacramenta edoceri, ut breui illorum opera Eccleſia iuuari poſſit; quibus deinceps commodius minores natu ſuccedere poterunt. In hac uero domo, quae conducenda erit, uel in collegio ipſo aedificando, haec potiſſimum ſpectanda ſunt, ut eam commoditatem, quae huic rei neceſſaria eſt, praeſtare poſſint. Primum uellem eã domum in atrio, et inferiori parte, habere aulas aliquot amplas et capaces, in quibus, non ſolum pueri collegii, ſed alii omnes pueri ciuitatis ad diſcendum conuenire poſſint. uellem enim omnes pueros in huiuſmodi ſcholis, non ſolum puerili diſciplina, uerum etiam Chriſtiana inſtitui. pro modo uero ciuitatis, ac puerorũ numero, ſpatia ipſa ſcholarum efficienda erunt. in ſuperiori etiam domo, quam pueri Seminarii inhabitabunt, uellem aulas potius quaſdam eſſe, quam parua cubicula; et eſſe huiuſmodi, ut in unica aula, ad utramque partẽ poſſint, plus minus, uiginti lecti haberi. nã huiuſmodi pueros

ros oportet ſingulos in ſingulis lectis cubare. in qua eadem aula uellem minimū duos matu rae iam aetatis, atque honeſtae uitae homines manere, qui et noctu, et diu curam ipſorum ha beant. quibus praecipue curandum eſt, ut pueri ſtatutis horis lectiones ſuas repetant, et ea cu rent, quae ipſis facienda erunt, ac praeterea ca uebunt, ne quid inmodeſte, quantum ea aetas ferre poteſt, et ne quid intemperater fiat: ſummaque diligentia curabunt, ut ab omnibus uitiis puerilis illa aetas arceatur. quod, ſi ſemper uterque, uel alter ipſorum cum pueris adfuerit, facile prouidebitur. per totam etiam noctem in ea aula, in qua cubabunt, unicam, uel duas magnas lampades accenſas habebunt, ut, ſi quid a pueris fiat, uidere poſſint. quibus etiam curae erit, ut pueri, antequam cubitum eant, preces Deo offerant, idemque, cum ſurrexerint faciant. ipſi uero educatores non ante cubent, quam pueros omnes quietos, ac dormientes uideant. in his uero hominibus doctrinam non ualde requirendam puto, modo adſint mores incorrupti, et uita honeſtiſſime acta, ac prudentia quaedam pueris gubernandis neceſſaria. ipſi enim futuri ſunt educato-

res,

res, ac magiſtri morum, et uitae huiuſmodi pue rorum. magiſtris uero grammaticae, ac dialeꝭticae nulla huiuſmodi cura educationis incubet: ſatis eis erit, ſi pueros in ſcholis doceant, et quantum ad docendum opus erit, caſtigent. quod ſi hi praeceptores in collegiis habitare poſſint, recte quidem erit, ſic tamen, ut praeci puam curam ſtudendi, ac docendi ſuſcipiant, et, ut ſeparata a pueris cubicula habeant. quod ſi in collegio magnus aliquis numerus puerorum educari poſſit, tot aulas in eo eſſe uellem, ut in ſingulis, plus minus, uiginti pueri cũ ſuis educatoribus, atque illis omnibus, de quibus ſupra dixi, morari poſſint. uellẽ quoque, ut ſi in collegio alendi ſunt centum pueri ex reditibus Seminarii, domus conducatur, in qua ducenti pueri, atque adeo plures praeter famulos, habi tare poſſint. nam uideo omnino futurum, ut diuites, cum uiderint pueros illos tam bene in collegio inſtitui, uelint etiã ibi filios ſuos educari. qui excludendi non erunt, cum ſuo ſumptu alendi ſint. quin etiam poterit ab eis ſumptus paulo largior peti, ut eo compendio plures pauperes iuuari poſſint. Propterea opto, ut quando huiuſmodi aliquod collegium aedificandum

candum erit, maxime ſi ciuitas, in qua aedificabitur, magna et ampla fuerit, ut in media ciuitate aedificetur; ſic tamen, ut amplam aream habeat, amplificandoque aedificio locus relinquatur. nam cum Lutetiae Parriſiorũ omnes Principum, ac nobilium filii in collegiis illis educentur, quid ſperandum eſt de huiuſmodi collegiis, in quibus maiori cura, ac ſtudio ad pietatem, et ad omnes bonas artes pueri inſtituentur? in hoc tamen uellem nos illa collegia Lutetiae imitari, ubi commode fieri poſſit, ut grãmaticae quattuor, uel quinque praeceptores habeamus, quibus ſingulis ſui pueri attribuantur, ita, ut ſint in quaſdam claſſes diuiſi. ſic pueri, qui in quarta, uel quinta claſſe erunt, prima tãtum rudimenta diſcent, et illa eis tam diu inculcabuntur, donec ea perfecte intelligant. in tertia diſcent iam aliqua ex Terentio, et ex epiſtolis M. Tullii, et dictata excipient. in ſecunda, illa eadem, atque alia diligentius docebuntur, et epiſtolae ad imitationẽ Ciceronis conſcribentur. in prima uero exactiſſime omnia, quae ad oratoriam artem, ac poetas pertinent, docebuntur. quae quidem claſſium diſtributio, ut experimento compertum eſt, ual-

de utilis, et perquam neceſſaria eſt, ut breui multa a pueris perfecte diſcantur. ubi tamen non erit ea facultas alendi tot praeceptores, unus, atque alter ſatis erunt, qui pueros, quo melius poterunt, doceant. uerum praeter diſci plinam hanc, ad puerorum rectam educationem praecipue curandum eſt, ut domus collegii ſit clauſa, nec pueri quoquam ſine praeceptoris uoluntate, atque iuſſu prodire poſſint. quibus tamen intra collegii ſpatia, et impluuium tempus aliquod ludendi pila, more puerorum, permittatur. ſemel etiam in hebdoma da extra ciuitatem cum magiſtris, et educatori bus ſuis prodeant, ut ibi libere currere, atque exercere corpus poſſint. nam cum in omnibus, tum in pueris exercitatio quaedam, atque agitatio corporis ad tuendam ualetudinem per quam neceſſaria eſt. uerum, cum omnia fere cō ſtituerimus, unus ille deeſt, qui futurus eſt prin ceps, ac totius collegii gubernator, et ſcholae huius magiſter; ac ſane ita eſt: ſed tamē ad hoc munus obeundum in pleriſque eccleſiis Hiſpa niae, ſunt propriae dignitates, quas alii ſcholaſterias, alii cabiſcolias uocant: quas obtinentes in Vlteriori Hiſpania magiſtros ſcholarū, in Ci-

in Citeriori capita ſcholarũ appellamus: utroque tamẽ nomine idem officium ſignificatur. nam quamuis in Toletana Eccleſia, et aliquot aliis eccleſiis Vlterioris Hiſpaniae ſint magiſtri ſcholarum, et alii, quos uulgo cabiſcoles nominant, in noſtris eccleſiis Citerioris Hiſpanie loco horum ſunt ſuccentores, quae dignitas quaedam eſt Eccleſiae Cathedralis, quales non ſunt illi, quos ipſi ſucciantres appellant. ac, tametſi demus in illis eccleſiis, quae ditiores ſunt plures eſſe dignitates, et plura officia, ex eo nõ debet effici, ut in noſtris eccleſiis hi deſint, quos proprie poſſimus ſcholaſticos nominare. et cum in multis non conueniant ritus noſtrarum eccleſiarum, et illarum, non ex illis, ſed ex iure communi explicanda ſunt, quae in noſtris eccleſiis fiunt. dubium autẽ non eſt, quod olim in pleriſque eccleſiis erant illius ſcholae, de qua in principio dixi, Praefecti, quos alii magiſtros, alii capita ſcholae nominabant. lingua enim noſtra, qua fere omnes Hiſpaniae Tarraconenſis utimur, cabiſcol, idem ualet, ac caput ſcholae; cui ſane is non in choro tantum, ſed ubique praeerat. neque enim poſſunt inania eſſe nomina dignitatum eccleſiaſticarum, nec

poteſt eſſe aliqua antiqua dignitas in eccleſia, quae magnos reditus habeat, ſine magna aliqua, et graui cura, atque officio. propterea horum ſcholaſticorum munus in decreto anteci tato, quantum fieri potuit, ad antiquum uſum fuit reuocatum. de quibus duo in eo ſtatuuntur, alterum, ut in futurum non conferantur, niſi magiſtris, aut licentiatis in Theologia, ſeu iure canonico, et uiris idoneis: alterũ, ut ſi hi, qui nunc eas obtinent per ſe ipſos munus docẽdi, quod ſibi incumbit, obire nequeunt, nominent ordinariis idoneos, qui illud praeſtent. in quo ſi negligentes fuerint, ab ordinariis per ſubtractionem fructuum cogi, ac cõpelli poſſint. itaque, et in futurum recte, et in praeſenti non male cõſultum eſt huic dignitati. uerum, quia hic ſcholae magiſter, uel ipſius ſubſtitutus, is eſſe debet, qui huic Collegio, et Seminario recte praeeſſe poſſit, ualde conſiderandum eſt, maxime in his eccleſiis, in quibus huiuſmodi dignitates ſunt magni mom???ti, ut non quiuis doctor, aut licentiatus, tanquam proprius ſcholae magiſter, uel ſubſtitutus admittatur; ſed ita, ſi alias ad hoc munus idoneus fuerit, ſic enim expreſſe in decreto cauetur. nam praeter

Theologiae,

Theologiae, aut iuris canonici ſcientiam, ad gubernandum huiuſmodi collegium, neceſſaria eſt in hoc principe magiſtro exquiſita bonarũ artium doctrina, ut magiſtros idoneos poſſit eligere; quos tamen ipſe ſuis praeceptis meliores efficiat, eis certã docendi rationem praeſcribendo. nam idonei praeceptores nõn ita facile inuenientur, multi tamen erunt apti, ſi certa illis ratio ab aliquo uiro ualde docto praeſcribatur. in eo etiam neceſſaria erit honeſtas quaedam, ac ſanctitas morum, ut ſuo exemplo alii omnes inſtruantur; dein prudentia quaedam ſingularis, ut omnia poſſit recte gubernare. nã ad ipſum, et reditus Seminarii, et cura omnis rei familiaris ſpectabit; qui quidẽ futurus eſt totius collegii, tamquam familiae unius pater. quod ſi dicatur difficile huiuſmodi uirum poſſe inueniri; immo facile in magnis eccleſiis, de his enim nũc loquor, reperietur, ſi ei, uel dignitas ipſa cũ integris fructibus, uel dimidia pars fructuum detur. cui etiam praebenda, uel aliquod aliud beneficium, interim dum integros fructus non percipiet, dari poterit. huiuſmodi enim hominibus bonis, ac doctis, non ſolum hae, ſed aliae omnes eccleſiaſticae dignitates

debentur;

debentur; quae, cum aliis minus dignis conſulto tribuuntur, ui ac rapina ipſis auferuntur. ipſi tamen omnia aequo animo, ut Chriſtianos decet, ferre debent, et iuſtum Dei iudicium patienter expectare; cum ſibi hic iniquo hominum iudicio indigniores praelatos uideant. porro hic ſcholae, ac Seminarii Praefectus, ac magiſter in collegio ipſo, ut curam omnium habeat, habitabit; quem tamen Epiſcopo, et Canonicis deputatis rationem reddere oportebit. Hoc autem tam exquiſitum examen in his eccleſiis requiro, ubi hae ſunt dignitates, ut, ſi haec cura adhibeatur, praeſtantes doctrina, ac uirtute uiri inueniantur, qui huius ſcholae curam ſuſcipiant: in aliis, quae melior cura adhiberi poterit, ea adhibeatur. quod ſi nō ita egregii uiri inueniri poſſint, his contenti ſimus, qui cum honeſtate uitae mediocrem litteraturam coniunctam habeant; quibus melius aliquod eccleſiae beneficium conferatur. quales uero pueri accipiendi ſint, ut in hiſce collegiis inſtituantur, hiſce uerbis decreti demonſtratur. Certum puerorum ipſius ciuitatis, et dioeceſis, uel eius prouinciae, ſi ibi non reperiantur, numerum, etc. ex quibus uerbis conſtat, uoluiſſe Synodum,

Synodum, ut inter homines eiuſdem prouinciae communio ſit omnium rerum, et beneficiorum eccleſiaſticorum. ac ſane abſurdum eſt, ut in alendis, et inſtituendis hiſce pueris communicent, quibus tamẽ poſt modum nullum beneficium, ſi alterius Regni fuerint, ob impedimẽtum pragmaticarum conferri poſſit. quare, cum recte in Tridentina Synodo conſtitutum ſit, quibus ſingula beneficiorum genera conferri debeãt, uel pragmaticae illae omnino auferendae eſſent, uel ita interpretandae, ut inter homines eiuſdem prouinciae eſſet beneficiorum communicatio, ſic tamen, ut data paritate, clericus propriae dioeceſeos alteri praeferatur. quo modo enim, et in Synodum prouincialem conuenire, et ſe mutuo in hiſce collegiis iuuare poterunt, niſi in beneficiis communicent? et cum ad unitatem omnis eccleſiaſtica diſciplina reſpiciat; nos eo modo, non ſolum prouincias, ſed dioeceſes diſcerpimus; ut in Ilerdenſi, Dertuſenſi, et Tiraſonenſi, aliiſq. Epiſcopatibus contingit: quod omnino corrigendum eſt, et ad ius commune reuocari debet. nam multo iniquius eſt, ut aliquis natus in Toletana prouincia, in prouincia Iſpalenſi

beneficium

beneficium conſequatur, cùm ſtipendia clericorum, qui in illa Eccleſia laborarunt, praeripiat, ſicut habetur in c.nec emeritis et c.nullus uerſ. habeat unuſquiſque 61. diſt. quam, quod alicui illius partis dioeceſeos Ilerdenſis, quae eſt in regno Aragonum, beneficium in prouincia Tarraconenſi conferatur. cum in rebus eccleſiaſticis, non diuiſio Regnorum, ſed diuiſio prouinciarum more eccleſiaſtico facta, ſpectanda ſit. quod Innocentius in libro ſecundo epiſtolarum, ad Petrum Compoſtellanũ ſcribens, aperte demonſtrat. ad quod etiam can.12. Concilii Chalcedonenſis aptiſſime referri poteſt. cui rei neſcio qua cauſſa Principes ſaeculares repugnare uelint, cũ nullo iure poſſint. ſed nũc ad alia tranſeamus. quaeret aliquis; quaenam erit ea ciuitas, uel dioeceſis, quae non habeat pueros, quos oporteat bene ac diligenter inſtitui? aduertendum eſt, ad hoc Seminarium non quoſcumque pueros eſſe cooptandos, ſed pauperes, et rebus ſacris idoneos. fieri autem poterit, ut in aliquo Epiſcopatu ob raritatem hominum, non ita facile huiuſmodi pueri repeчriantur. quod quidem rarum erit, ſed ſi contingat, tum poterunt ex prouincia aſſumi; alias iuſtum,

iuſtum, ac debitum eſt, ut ex propria ciuitate, ac dioeceſi aſſumantur. uerum inter alia, quae in his pueris requiruntur, ſunt haec: bona indoles, et uoluntas ſeruiendi eccleſiae. ſed dicet aliquis, unde, aut quibus argumentis hoc deprehendam, maxime, quod hi pueri ſint inſeruituri perpetuo miniſteriis eccleſiaſticis? ſane certa argumenta huius rei uix eſſe poſſunt; tamen ſi parentes oſtendant ſe id omnino uelle, et cum ſint pauperes, poterunt ſperare melius ſibi eſſe futurum, ſi filium habeāt ſacerdotem, et doctum, hoc non eſt malum argumentum: quod ſi accedat uoluntas filii, et bona indoles, bene ſperandum erit. nam hi pueri, ſi recte inſtituantur, et ſpem certam habeant beneficii conſequendi, ſi idonei fuerint; facile et idonei ad ſeruiendum, et ad gubernandum eccleſias euadent. quos tamen temporis proceſſu, ſi uiderit Epiſcopus nō eſſe rebus eccleſiaſticis idoneos, aut eis hoc uitae genus non placere, poterit illos eiicere, ut aliud uitae inſtitutum ſectentur. pauperum uero filios propterea eligi uult Sancta Synodus, quia hi maxime debent ab eccleſia iuuari, et ali; et quia ſunt ad obediēdum aptiores. de quibus certior eſt ſpes, quam de

diuitibus, quod eccleſiae perpetuo deſeruient, a qua educati fuerint, et a qua poſſunt maiora beneficia, quā ex paterna hereditate expectare. hoc uero diligenter eſt conſiderandum, ut in quibus dioeceſibus erunt loca aliqua aſperiora, maxime ſi horum locorum ſint tenuia beneficia, ex illis maxime locis accipiantur aliqui pueri, qui in hoc collegio alantur. nam hi poſtea facilius ad ea loca, tamquam ad patrium ſolum, in quo ſuos cognatos, et bona aliqua habebunt, reuertentur; cum alios uix inuenire poſſemus, qui eo ire uellent. ditiorū tamen filii non excluduntur; quia et in his multi reperiuntur, qui Chriſtiana quadam pietate, maxime ſi accedat optima inſtitutio, ſolent paternas hereditates, etiam ampliſſimas, ut Chriſto ſeruiant, negligere. in his uero non ita magna cura adhibenda erit, an uelint omnino eccleſiaſtici euadere; ſatis erit, ut ab eo inſtituto non abhorreant, et honeſtam quandam indolem prae ſe ferant. nam cum ſuo ſumptu alantur, nihil peribit reditibus Seminarii, ſi illi eccleſiaſtici non efficiantur, et Reip. plurimum utilitatis accedet, ſi habeat nobiles uiros bene educatos et modeſtos. ac ſane quanto maior

erit

erit horum iuuenum numerus, tanto maior au ctoritas, et utilitas collegio accedet. uerum, ut concordia inter eos ſeruetur, et diuites in eo maxime loco modeſtiam diſcant, et ſuperbe agere dediſcant; in ueſtitu, uictu, atque aliis omnibus, nullum penitus diſcrimen ſit inter filios diuitum, ac pauperũ. quod ſi pauper propterea inſolentius agere coeperit, acriter puniatur. et in hoc ſumma cura adhibeatur; ut in eo loco diſcat nobilis ac diues pauperem, ut fratrem amare, ac tractare; et pauper, ubi res feret, diuiti caedat, eumq. obſeruet. porro pueri hi diuidi in quaſdam claſſes debent, ut in decreto praecipitur. uerum diuiſio haec claſſium poterit eſſe duplex, altera iuxſta aetatẽ; ita ut maiores natu in prima claſſe ſint, minores in altera. quae ratio poterit ſeruari in his, quae domi facienda erunt in uilioribus officiis; ita ut maiorum ac nobiliorũ aliqua ratio habeatur, modo id ipſi non intelligant. quando etiã ad menſam accumbent, iuſtum eſt, ut grandiores praecedant. quod ſi fuerint aliqui ſacris initiati, hi iuxſta graduum ſuorum rationem inter ſe, atque aliis omnibus non initiatis praeferantur. In ratione uero ſtudiorum, ac diſputationum

alia diuiſio claſſiũ facienda erit, nempe eo modo, quo ſupra dixi: neceſſe enim eſt, ut doctiores, etiam ſi minores natu fuerint, aliis praeferantur. quod efficiet, ut illi incitentur ad ſtudendum diligentius, ne minoribus cedere cogantur. ea uerba decreti. Partim, cum ei opportunum uidebitur, eccleſiarum miniſterio addicet; partim in collegio erudiendos retinebit, aliosq. in locum eductorũ ſufficiet, ita, ut hoc collegium Dei miniſtrorum perpetuum Seminarium ſit; ad eos, qui prima tonſura inſigniti ſunt, referri debent. nam canone ſexto reformationis in hac ſeſſione edito, ſic ſtatuitur. Vt ille alicui eccleſiae ex mandato Epiſcopi inſeruiat, uel in Seminario clericorum, aut in aliqua ſchola, uel uniuerſitate de licentia Epiſcopi; quaſi in uia ad maiores ordines ſuſcipiendos uerſetur. ita, quod hic dicitur, hoc ſignificat: ut ex his pueris, qui prima tonſura inſigniti fuerint, Epiſcopus, ſi ita opus fuerit, partem aliquibus eccleſiis attribuat, ut in eis, maxime diebus feſtis, inſeruiant: partem uero ita in collegio retinebit, ut nulli eccleſiae eos addicat, quia ei rei fortaſſe apti non erunt, cum tamen ſint ad ſtudia aptiores. itaque hoc prudentiae

Epiſcopi

Epiſcopi relinquendum eſt, et eorum, qui curam huiuſmodi collegiorum habebunt. in his quoque uerbis decreti, quae deinceps ſequuntur: ut uero in eadem diſciplina etc. multa Patres complecti uoluerunt, quae non uno, codemq. tempore, neque in quouis collegio efficienda erunt, ſed fient, ubi, et quando fieri poterunt. uerum ſingula diligenter, et quae magis neceſſaria ſunt conſideremus. primum in quouis collegio neceſſarii ſunt minimum duo magiſtri, alter grammaticae, alter cantus. praeterea aliquot honeſti eccleſiaſtici, uel alii probi uiri, qui curam uitae, ac morum puerorum habeant, qui in collegio habitent, et ſemper cum pueris uerſentur, de quibus omnibus ſupra late tractauimus. praeter hoſce magiſtros grãmaticae, et cantus, eſt quoque neceſſarius profeſſor aliquis, qui dialecticam, et philoſophiam doceat, et ſi amplum erit collegium, et magna ciuitas, in quo erit ſitum, ut ſcholaſtici non deſint, ſingulis annis poterit nouus profeſſor rudimenta dialecticae docere, ita, ut ille, qui anno ſuperiore coeperit, ad alia difficiliora docenda progrediatur. Ac poſtquam grammaticae, dialecticaeq. praeceptis imbuti, et in philoſophia

loſophia uerſati fuerint, de illis, qui excellentis ingenii eſſe reperientur, aliqua ratio iniri poterit ex eleemoſynis hominum ditiorum, ſi ipſi adeo pauperes fuerint, ut ad aliquã praecipuã Academiam mittãtur, ubi operam, ac ſtudium in Theologia, uel Iure canonico ponant. alii, quales multi reperiuntur, qui mediocris ſunt ingenii, et honeſtae ac probatae uitae, poterũt domi manere; et quo melius poterunt, ſtudiis rerum eccleſiaſticarum uacabunt. nam in praecipuis ciuitatibus lectio canonici, qui praebendam Theologalem habebit, deeſſe nõ poterit. in quibus etiam facile effici poterit, ut aliae lectiones Theologiae legantur: uel datis ſalariis ex fructibus Seminarii, uel Epiſcopo, et primariis uiris ciuitatis id procurantibus. porro hi, qui domi manebũt, maxime exercendi erunt, ut dicitur in decreto, in his, quae ad confeſſiones audiendas opportuna uidebuntur, et in legendis homiliis Sanctorum. nã hi ualde erunt apti atque idonei, ut ad parroecias ruſticorum mittantur. cum illi excellentioris ingenii potius ſint in ciuitatibus, datis eis praebendis, uel dignitatibus eccleſiaſticis retinendi, aut praeficiendi inſtruendis parroeciis ciuitatum, uel

ad in-

ad inſigniores pagos mittẽdi. Ex his ergo quae diximus, habita ratione, quid quoque tempore faciendum ſit, apparet, ea, quae nobis in hac parte illius decreti confuſa, et nimia uidebantur, poſſe facile praeſtari. quod autẽ praecipue pertinet ad inſtitutionẽ horum puerorum, eſt, ut frequenter confiteantur. hoc uero Synodus annotauit, et huius rei tam neceſſariae procurandae curam Epiſcopo iniunxit. qui ſi hoc neglexerit, ut ſaltem ſingulis menſibus confiteantur, ut in decreto dicitur, peccabit grauiſſime, tamquam negligens horum puerorum rectam inſtitutionem. quod ſi ipſi uelint ſaepius confiteri, non ſolum hoc eis permittendum eſt, ſed ad hoc etiam hortandi ſunt, ac monendi. hoc uero intelligendum eſt de iunioribus, antequã ſint ſubdiaconi; nam de ſubdiaconis, et diaconis canone tertiodecimo huius ſeſſionis dicitur: ſciantq. maxime decere, ſi ſaltem diebus dominicis et ſollemnibus, cum altari miniſtrauerint, ſacram cõmunionem perceperint. unde ſubdiaconi, non ſolum ſingulis menſibus, ſed ſingulis diebus feſtiuis debent ſacram communionem percipere. quam ſi frequentius ſumere uelint, ualde probandũ eſt. Quae omnia

atque

atque alia ad hanc rem opportuna,et neceſſaria Epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum canonicorum ſeniorum,et grauiorum,quos ipſi elegerint, prout Spiritus Sanctus ſuggeſſerit conſtituent. hic docetur, quinam futuri ſint executores huius decreti. Ac praecipuus quidem eſt Epiſcopus. ipſum tamen oportet ſibi aſſumere duos ex canonicis ſenioribus, et grauioribus, quorum conſiliũ requirere debet, non tamen ſequi, ſi uiderit ſpectare ad impediendam conſtitutionem, ac cõſtructionem huiuſmodi collegiorum. nam ſi negligentia aliqua exhibebitur in erectione collegii, de ea Epiſcopus acriter arguendus eſt, et cogendus a Synodo prouinciali, uel a ſuo Metropolitano, ut eam erectionem praeſtet, ut prope finem ipſius decreti dicitur. quare, cum Epiſcopus, non canonici arguendi ſint, ad Epiſcopum proprie ea cura pertinet. et de modo tantum conſtituendi ea, quae neceſſaria ſunt, capiendum eſt a canonicis conſilium. nam quod collegia haec conſtituenda ſint, aperte hoc decreto ſtatuitur; et eorum omnium conſilia reiicienda erunt, qui hoc aliquo modo impedire curabũt. huc quoque pertinet,quod deinceps dicitur. Idem Epi

ſcopus

ſcopus etc. Ac ſane de modo exequendi hoc decretum, ut ille modus quaeratur, qui magis poſſit eccleſiae conuenire, et minus nocere, in hoc requirendum erit omnino conſilium illorum canonicorum, et clericorum. uerum, ſi illi obliquis aliquibus conſiliis, uelint inſtitutionem, et erectionē huiuſmodi collegii impedire, nullo modo erunt audiendi. ut uero huiuſmodi collegia conſtitui, et poſt modum conſeruari poſſint, recte Synodus Tridentina, unde ſumptus ad eam rem neceſſarii ſumendi ſint, declarauit. Ex fructibus integris menſae Epiſcopalis, et Capituli, et quarumcumque dignitatum, perſonatuū, officiorum, praebēdarum, portionum, Abbatiarum, et prioratuum, etc. his enim uerbis omnia beneficia continentur, ex quibus detrahenda eſt portio, de qua ibi agitur. quae quidem ex integris fructibus detrahenda eſt, non ſecundum taxam, aut iuxta aliquam aliam rationem non adeo iuſtam; quia hic non agimus de rebus odioſis, ſed de re omnium iuſtiſſima, atque honeſtiſſima, et a nobis, qui aliqua beneficia eccleſiaſtica obtinemus, omnino debita. dicet aliquis, quaenam tibi portio uideretur aequa, atque iuſta; mihi

Z placeret

placeret decimam partem omnium fructuum, huic Seminario attribui, tamen, ſi haec negaretur, contentus eſſem uigeſima. hoc uero optarem eccleſiaſticos omnes cōſiderare; quod nullá alia uia eſt reſtingendi odium laicorum aduerſus nos concitatum, et ſitim, qua ardere uidentur ad exhauriēda bona eccleſiaſtica, quá ſi nos iuſte, ac recte ea diſtribuamus. quae enim alia ratio induxit Germaniae Principes, ut quá partem potuerunt bonorum eccleſiaſticorum occuparint? niſi, quod dicerent ea luxui, comeſſationibus, atque aliis uitiis ſeruire. quid alios quoque Principes, et uiros Catholicos, ut hiſce eccleſiaſticis bonis inhient, mouet? niſi, ut, quia perire illa, nec ſeruire Deo exiſtimant, melius eſſe putent, Rempub. eis iuuari, quá quod luxui, uel alicui cōſanguineo tradantur. itaque, ſi uolumus hos ipſos Catholicos uiros, non ſolum noſtra non appetere, ſed ſua eccleſiiis donare, incipiamus aliquando ea recte diſtribuere; et efficiamus, ut reditus eccleſiaſtici, non tam noſtris commodis, quam Reipub. ſeruiãt. dicet aliquis, ſi in amplis Epiſcopatibus uigeſima mēſae Epiſcopalis, atque aliorum omnium beneficiorum detrahetur, maxima quaedam

pecuniae

pecuniae ſumma conficietur: utinam ita eueniat, tum enim nō unicum collegium, ſed plura in dioeceſi, ubi commodius fuerit, conſtituentur, ut in fine decreti dicitur. poſſet etiam aliquid amplius in hiſce ditioribus epiſcopatibus, collatis totius prouinciae rationibus, effici; quae res in Hiſpania erit factu facillima, et erit quam maxime utilis: nempe, ut ex beneficiis, et portione, quae Seminariis in tota prouincia attribuetur, detrahantur ſex millia aureorum, aut minimum quattuor millia, ut ex iis, in loco prouinciae commodiori, Academia cōſtitui poſſit; in qua bonae omnes artes, praeſertim, quae ad diſciplinā eccleſiaſticam pertinent, doceantur. nam cum Hiſpania tam late pateat, ut non ſolum multos populos, ſed uarias quodam modo gentes habeat; oporteret in ea eſſe multo plures Academias. ad hoc uero negotium omnino uellem Tarraconenſem, et Valentinam prouincias, pro una prouincia cōputari, quia ſic olim erat: quod etiam facile fieri poterit, cum moribus, ac lingua conueniant, et neceſſe ſit ad hanc rem conficiendam, ut inuicem rationes ſuas communicent. Idem poſſet effici in Caeſarauguſtana, additis ei ad hoc

aliquibus Epiſcopatibus exemptis. Idem, et multo facilius efficietur in Toletana: uel ſi hoc in ea non ita neceſſarium uidetur ob uicinitatem Salmanticenſis, et Complutenſis Academiarum; augeatur in ea prouincia quam maximus numerus Seminariorum. In Compoſtellana arbitror id eſſe perneceſſariũ, ut regio illa Gallecorum magna et ampla, cultior, et litterarum peritior efficiatur: porro in Iſpalẽſi, et Granatenſi prouinciis, quae longe a Salmanticenſi Academia abſunt, arbitror, hoc non minus eſſe neceſſarium, quam in Tarraconenſi; ac Valentina: eſſet uero commodũ, ut Iſpalenſis, et Granatenſis prouinciae rationes ſuas ad hanc Academiam conſtituendam communicarent; ſicut de Tarraconẽſi, ac Valentina dixi. de Bracharenſi, et Vlixiponenſi Luſitani cogitabunt. Ac ſane ratio hoc efficiendi non adeo difficilis eſt, ut poteſt aliquibus uideri, qui ſocordia quadam, uel nequitia, nihil umquam moueri uellent, quod eorum rationibus poſſet aliquo modo officere. nam in noſtris illis prouinciis Tarraconenſi, et Valentina; ſi ad hanc rem eligeretur Ilerda, quae iam antiqua eſt Academia; ſi illis reditibus, quas ipſa habet, quattuor millia

aureorum

aureorum adderentur, et optima ratio eius cõſtituendae, ac gubernandae iniretur, poſſet effici optima Academia, et cum quibuſuis maximis Academiis comparanda. nec uero abeſt a ſententia huius decreti haec conſtituendarum Academiarum ratio. nam in eo conceditur, ut uideatur, an huiuſmodi collegia in Metropolitana, uel in alio loco ipſius prouinciae conſtituenda ſint, ut ubi commodius uidebitur, ibi collegia conſtruantur. Academia uero conſtituta, poſſent proceſſu temporis, in ea etiam ſingulorum Epiſcopatuum ſingula collegia conſtrui, ad quae illi, qui domi in proprio Seminario, grammaticae et dialecticae praeceptis imbuti eſſent, mitterentur; ut ibi ſub eadem morum, ac uitae diſciplina in collegiis degentes, omnibus bonis artibus, atque in primis Theologiae, uel Iuri canonico operam darent. nam ſi ad dignitates, canonicatus, ac parroecias gubernandas, boni ac docti uiri eligi debent, ut ſane debent; neceſſe eſt, ut Academiae conſtituantur, ubi id cõmode effici poſſit. non enim conuenit iuuenes nimis longe uagari, hoc praeſertim tempore, in quo facile mali bonorum mores corrumpunt. conſtituendum etiam erit, ut

inter

inter eas omnes dioeceſes,ac prouincias,in qui bus haec erit morum, ſtudiorum, ac reliquarum omnium rerum coniunctio, ſit quoque communio beneficiorum eccleſiaſticorum,neque ullis cõſtitutionibus, aut pragmaticis hoc impediatur; ne caritas, et cõiunctio hominum eiuſdem prouinciae, hoc impedimento minui uideatur. uerum ab hac lege dandi portionem aliquam ad hoc collegium,et ſeminarium, excipiuntur illa collegia, quae actu habent Seminarium diſcentium, uel docentium ad commune eccleſiae bonum; quae tamen exempta eſſe debent, tantum ratione fructuum, qui ad conſeruandum illud collegium ſunt neceſſarii: nam pro illis,quae ſuperſunt,debent etiam portionem ſuam tradere. quo ſane nomine cõprehenduntur omnia collegia Salmanticenſis, Complutenſis, Pariſienſis, ac Louanienſis, Academiarum, atque alia huiuſmodi. regularium quoque collegia,in quibus illa etiam cõtinentur, quae nuper a Reuerendis uiris ſocietatis Ieſu reguntur,ac gubernãtur, de quibus proprie fuit cogitatum, hac exceptione cõprehenduntur. ex monachis uero excepti ſunt mendicantes; ex militiis tantum excepta eſt militia San-

cti Ioannis Hieroſolymitani: nã reuera hi ea, quae ſunt muneris ſui exercent. quorum facul tates, cum in locis haereticorum ualde ſint di minutae, et in aliquibus locis omnes ſint illis ſubtractae; iniquum uideretur, ſi a nobis quoque illis ſubſidia neceſſaria negarentur. praeſertim, cum nulli ſint, qui pro uirili ſua portio ne, tam bene, et tam fortiter Rempub. a pyratis tueantur. propterea haec exceptio, in hac tantũ militia, Patribus fuit probata. additur praete rea haec clauſula in eo decreto, quae tota, quia maximi momẽti eſt, ualde eſt notanda. Nec nõ beneficia aliquot ſimplicia cuiuſcumque qualitatis, ac dignitatis fuerint, uel etiam praeſtimo nia, uel praeſtimoniales portiones nuncupatae, etiam ante uacationẽ, ſine cultus diuini, et illa obtinentium praeiudicio, huic collegio applicabunt, et incorporabunt. quibus uerbis datur facultas Epiſcopis uniendi omnia genera ſimplicium beneficiorum. hiſce autem unionibus, breui tempore erit optime cõſultum hu iuſmodi collegiis, et beneficia alia erunt libera, ac praeſtimonia; et ſimiles portiones ei rei ſeruient, ob quam fuerunt inſtitutae. in Hiſpa nia enim ex parochialibus ditioribus, fuerunt

huiuſmodi portiones detractae, quae praeſtimonia uocantur, ut ex illis reditibus pauperes ſcholaſtici; ſine ullo eccleſiarum incommodo ali recte in Academiis poſſent, ut diligẽtius operam ſacris ſtudiis darent. in aliquibus uero Hiſpaniae Epiſcopatibus, ſunt quidem eaedem illae portiones, quae tamen non praeſtimoniales, ſed tertiae, uel quartae partes appellantur; quia ſunt tertiae, uel quartae partes ex parrochialibus detractae, ut eiſdẽ ſcholaſticis darentur. tales ſunt multae in Maioricenſi dioeceſi, de quibus idem habendum eſt iudicium, ac de praeſtimonialibus portionibus. nam ut tales habitae fuerunt in Sacro Apoſtolico auditorio, ſicut eſt in deciſionibus Rotae dec.583 de conceſ. preben. in an. quod ſi alicubi aliquae ſunt huiuſmodi portiones, idem de illis quocumque nomine appellentur, iudicandum erit; maxime, cum de re honeſtiſſima, et, ut noſtri loquuntur, maxime fauorabili tractetur. poſſunt uero huiuſmodi beneficia, ac praeſtimoniales portiones Epiſcopi hiſce collegiis unire, etiam ante uacationem, modo ſine cultus diuini, et illa obtinentiũ praeiudicio hoc fiat. quae uerba ſic intelligenda ſunt, ut prae-
iudicium

iudicium illa obtinentium duret, quam diu illi uixerint, ut non poſſint illis, uel aliqua parte illorum priuari, niſi pro illa portione generalis taxationis: ipſi tamē, ut infra dicitur, nullo pacto poſſunt ea beneficia reſignare. itaque hoc, quod in obtinentibus beneficia conſiderandū eſt, temporarium eſt, nempe durante eorum uita: illud uero cultus diuini eſt perpetuū, quod etiam poſt unionem durat. eſt autem, ut, ſi propter beneficia illa, uel praeſtimonia, aliquid eſſet in eccleſia agendum, ut iuſta aliqua portio idoneo miniſtro attribuatur, qui id in eccleſia praeſtet, quod cultui diuino debetur. nam iuſtum non eſt, ut cultui diuino, quem augere debemus, aliquid detrahamus. propterea uideant Epiſcopi, quaenam beneficia huiuſmodi collegiis uniant, ut ſint omnino libera, neque in aliquo cultui diuino officiant. nam, ubi nō erunt huiuſmodi praeſtimonia, ſunt aliqua beneficia ruralia, quae nec ciuitatem, nec pagum, nec locum ullum habent, in quo poſſint deſeruire; quamuis a principio, cum ibi pagus aliquis eſſet, paganis illis ſeruirēt: huiuſmodi beneficia, ſiue ſaecularia, ſiue regularia fuerint, arbitror quam cōmodiſſime hiſce collegiis uniri poſſe.

Ego de illis prouinciis proprie loquor, in quibus ſum uerſatus; alii in ſuis prouinciis beneficia inuenient, quibus nomina haec, quae in hoc decreto expreſſa ſunt, conuenire poſſint. addita etiam fuerunt haec recte in eo decreto. Quod locum habeat, etiam ſi beneficia ſint reſeruata, uel affecta, nec per reſignationẽ, ipſorum beneficiorum uniones, et applicationes ſuſpendi, uel ullo modo impediri poſſint: ſed omnino quacumque uacatione, etiam ſi in Curia effectum ſuum ſortiatur, quacumque conſtitutione non obſtante etc. hac enim clauſula omnia comprehenſa ſunt, quae uidebantur effectum harum unionũ impedire poſſe. itaque reſignari in fauorem coram Sanctiſſimo haec beneficia ſic unita non poſſunt. et uerba illa: nec per reſignationem, ipſorum beneficiorum uniones, et applicationes ſuſpendi etc. intelligẽda ſunt de reſignatione facta in fauorem coram Sanctiſſimo, nam de reſignatione facta coram Ordinario intelligi non poſſunt; quia in ea nulla erat dubitatio, quin uniones iã factae effectum ſortirentur, ſi poſſidens beneficium, illud reſignaret in manibus Ordinarii. Vnde, cum hic caſus ſit indubitabilis, neceſſario ea

uerba intelligenda ſunt de reſignatione facta in Curia. illa uerba, etiam ſi in Curia effectum ſuum ſortiatur, intelligo de his, qui in Curia diem ſuum obibunt. nam ſi de litigioſis tantũ haec intelligerentur, uiderentur Patres huiuſmodi collegiis lites uoluiſſe procurare. uerum ſi beneficiũ unitum eſſet, facta mentione poſſeſſionis mortui, cum per unionem in locum defuncti Collegium ſuccedat, arbitror ius ſtatim eſſe Collegio acquiſitum, quod ipſi non poſſet per ſurrogationem auferri. uerum, antequam huiuſmodi uniones beneficiorum fiát, optarem haec ab Epiſcopis ualde conſiderari. primum uideant Epiſcopi in ſuo Epiſcopatu, et dioeceſi, quae collegia huiuſmodi conſtitui poſſint. a quibus uellem etiam, maxime in Hiſpania, ut de Academia in aliqua parte prouinciae conſtituenda omnino tractaretur. quod ſi haec omnia in Conciliis prouincialibus tractabuntur, maxime, quod ad Academiam pertinet, recte erit, et res tota facilius, et cum maiori auctoritate cõficietur. conferre autẽ in Concilio prouinciali ſinguli Epiſcopi ſuas rationes poterunt, ut dicant, quanti ſint reditus omnes ſui Epiſcopatus, et quot collegiis huiuſmodi

opus habeant; tum ratio optima iniri poterit, ut tot beneficia ſimplicia his collegiis in perpetuum uniant, ex quorum reditibus illa collegia, et portio, quae à ſingulis Epiſcopatibus pro Academia tribuenda erit, commode ſolui poſſit. interim tamen, antequam uacent illa beneficia, conſtituendum erit, ut ex ſingulis beneficiis ea portio accipiatur, quae illam ſummam efficiat. itaque in amplis Epiſcopatibus, ubi ſunt plurima beneficia, quae commode uniri poſſint, res erit factu facillima, et breui tempore omnia beneficia erunt libera ab illa portione. in aliis Epiſcopatibus fiet, ut commodius poterit; et ſi nulla beneficia fuerint, quae uniri poſſint, non adeo magna portio imponetur beneficiis, niſi illa eſſent ualde opima; quia illa ſemper erit ſoluenda. itaque ea ratio iuſta, et honeſta in cōſtituendis hiſce collegiis ſpectanda eſt, ut collegia ipſa omnino, quo commodius fieri poterit, conſtituantur; ſed uideatur, ne beneficia nimium grauetur, maxime ſi nulla eſt ſpes illa ex unionibus poſſe liberari. et haec de ditioribus, et amplis eccleſiis. uerum quid in tenuibus eccleſiis faciendum ſit, Synodus Tridentina in eo decreto non neglexit.

Si uero

Si uero in aliqua prouincia, Eccleſiae tanta pau pertate laborarent, ut collegium in aliquibus erigi non poſſit, Synodus prouincialis, uel Me tropolitanus cum duobus antiquioribus ſuf fraganeis etc. quibus uerbis cōſulitur illis pro uinciis, quorum Epiſcopatus magna pauperta te laborant, et ſtatuitur: ut, ſi in dioeceſi nō po teſt cōſtitui hoc Seminarium, Synodus prouin cialis, uel ſi ea non poteſt facile conuenire, Me tropolitanus cum duobus antiquioribus ſuf-fraganeis conſtituat, ut uel in Metropolita-na, uel in alia prouinciae eccleſia commodiori, unum, uel plura collegia conſtituantur. quod ſi unum tantum conſtituendum erit, quod ſa-ne conuenientius erit, ut unum amplum, uel mediocre, quam quod plura parua collegia eri gantur, tum poterit ea ratio iniri, ut pro modo portionis, quam ille Epiſcopatus dabit, tot pue ri ex eo Epiſcopatu in eo collegio alantur, habi ta ratione ſumptuum, pro more illius loci, ita, ut omnia, quae in uictu et ueſtitu pueris neceſ-ſaria erunt, computentur. exempli cauſſa: ſunt tres Epiſcopatus, qui ſimul unum collegium uolunt conſtituere, et ab uno Epiſcopatu dan-tur cētum, ab alio ducentū, ab alio trecentum,

aurei: et ad uictum, ac ueſtitum in ea prouincia ſingulis pueris ſufficiunt uiginti aurei; ergo ex illo Epiſcopatu, qui confert centum, alentur quinque pueri; ex altero decem; et ex tertio quindecim. quod intelligo, detracta prius portione, quae pro conductione domus, ſalario magiſtrorum, et rebus aliis neceſſariis detrahenda eſt. in omnibus uero rebus nulla inter eos facienda erit inaequalitas, niſi iuxta illarū claſſium diuiſionem, de qua ſupra diximus, ut cum omni paritate, quo cōtentio omnis inter ipſos tollatur, educētur. Idem quoque fieri poterit, ſi duo Metropolitani ſint, qui paucos, uel nullos habeant ſuffraganeos, et omnes ſint pauperes; ut ſimul cōueniant, et locum cōmodiorem eligant, in quo Seminarium conſtituatur: quo ipſi Metropolitani, atque eorum ſuffraganei ſuos pueros mittant, iuxta eam rationē, de qua ſupra dixi. quae ſane aequa, et facillima cuiuis, ut puto, uidebitur. quod ſi, uel ditiores, uel tenuiores Epiſcopi hanc cōſtructionem collegiorum, pro modo facultatum ſuarum neglexerint, uideo ab eis ſeueriſſimo iudici rationē eſſe reddendam, et grauiſſimas poenas eſſe negligentibus inferendas: eos tamen alii, etiam

ſi Epi-

ſi Epiſcopi non ſint, nomine Synodi prouincialis, et monere, et cogere ſub poenis, ac cenſuris iuxta hoc decretum poterunt. ſed utinam, quod bene de ſanctiſſimis Epiſcopis ſperandū eſt, omnes in re tam neceſſaria, et tam utili quā diligentiſſime agant, ut nemo in cauſſa Dei negligens inueniatur. uerum ne ob aliquas difficultates, haec tam neceſſaria collegiorum conſtitutio facile impediri poſſit, additur extrema clauſula, qua ampliſſima facultas Epiſcopis cum duobus deputatis, uel Synodo prouinciali in hiſce omnibus rebus tribuitur. modo Epiſcopus cum deputatis, uel Synodus prouincialis eo ſpectent, ſicut omnino ſpectare debent, ut quam diligentiſſime inſtitutio, et conſeruatio huiuſmodi Seminariorum conſtituatur, ac procuretur. quod utinam, quam diligentiſſime, et quam citiſſime fiat. notanda uero eſt admodum haec clauſula, quia ultima quidem, ſed omnium eſt ampliſſima, et quae maximam tribuat facultatem uolentibus hoc Dei negotium diligenter, ac ſtudioſe, ut par eſt, tractare, ac perficere.

DE

DE SEMINARIO PVELLARVM Deo Dicandarum.

Horum, quae de pueris diximus comparatione, poſſet eadem ratio honeſte, ac ſancte inſtituendarum puellarum iniri, qua Reſp. non minus, quam illa puerorum iuuaretur. quae res eleemoſynis diuitum facile in quauis ampla ciuitate effici poſſet. ea uero eſſet, ut ampla aliqua domo in modum monaſteriorũ clauſa, atque undique altis parietibus munita, puellae maxime pauperes, bonae indolis, et honeſti uultus, quales multae in magnis ciuitatibus repeciuntur, in eo loco ſtudioſe educaretur: ex quarum impudicitia, quia in pueritia non prouidetur, poſtea maxima damna Reipub. inferũtur. in ea uero domo, uel monaſterio, uellem aliquot honeſtiſſimas, ac ſanctas mulieres eſſe, quae curã in timore Dei educandi haſce puellas habeant, ſic, ut decem, uel plurium puellarum cura uni earum tribuatur, ut eas ad Chriſtianam, et ad omnem diſciplinam ſanctis feminis congruentem inſtituat. quam quidem in iunioribus inſtituendis maiores natu puellae, et in ea diſciplina iam exercitatae cõmode

 iuuare

iuuare poterunt; modo ipſa tamquam illarum omnium mater, ac magiſtra, ſemper illis adſit, easq. nutu ſuo in officio contineat. quas quidem ſic inſtitui optarem, ut ad uirginitatẽ ſanctiſſime ſeruandam, et ad omnem ſacrarum uirginum diſciplinam quam diligentiſſime tuendam inducerentur: uerum ita, ut nulla neceſſitas cuipiam imponatur; ſed liberum cuiuis earum ſit, cum ad decimum et ſextum, uel ſummum decimũ et octauum annum peruenerit, eligere, an uirginitatem ſeruare, an nubere malit; ſic tamen, ut illis, quae nubent, dos aliqua, ut commodius fieri poterit, uel ex eleemoſynis, uel ex piorum hominum legatis comparetur, atque alicui bono uiro collocetur. illae uero, quae uirginitatem ſeruare maluerint, ab illo educationis loco, ad alia monaſteria monialium transferantur. nam cum locum illum, in modum monaſterii conſtructum, ad hoc tantum paratũ eſſe oporteat, ut in eo puellae educentur, et inſtituantur; ne ſit quam citiſſime plenus, ea ratione exhauriendus eſt, ut ex eo ſancte inſtitutae puellae, et eductae, in multis locis ad alias iuuandas, atque inſtituendas collocari poſſint; et tamen ille locus ſemper ad illud idẽ

munus educandi alias puellas commodus maneat. ſi quae tamen ipſarum puellarum maiorum natu ualde aptae ad iuniores educandas uiderentur, illae cum ſollempi uirginitatis profeſſione, et monialium ueſtitu indutae, ſicut alias educatrices eſſe oportebit, inter illas commode retineri poterunt; id uero intelligēdum eſt, quando per obitum alicuius ex educatricibus locus aliquis uacabit: nā omnino certum numerum oportebit eſſe huiuſmodi mulierum, ita, ut centum puellis educādis quattuordecim, uel quindecim moniales praeficiantur. quo enim diutius in ea arte uerſatae fuerint, quae ingenio, et bona indole praeditae erunt, eo meliores, et aptiores aliis erunt, quae educationis illius expertes fuerint. in hunc uero locum uellē, ut dixi, paupercularum filias, quae bonam indolem prae ſe ferēt recipi, easq. ſumptu publico, et ex eleemoſynis ali, ſic tamen, ut ditiorum quoque filiae nō excludantur, modo ſumptus eis neceſſarius a parentibus tribuatur. quas quidem pari, et eadem omnino diſciplina cum aliis educari oportebit, ne illae ibi ſuperbiae aſſueſcāt, ubi omnem animi ſubmiſſionem, atque obedientiam diſcere debent. ac

 propterea

propterea in ampla ciuitate oportebit huiuſmodi monaſterium amplum eſſe, ut in eo plures puellae cõmode habitare poſſint. qui quidem locus erit aptiſſimus uiris nobilioribus, qui uel ob paupertatem, uel ob aliam quampiam cauſſam, uolent ſuas filias uirgines conſeruare, ut eas a primis annis in eo loco educandas tradant, ubi omni cura, ac ſtudio laborabitur, ut illae uirginitatem amplectantur, eamq. ſponte ſua, in legitima aetate ſpõſo Chriſto uoueant, ac praeſtent. qua quidem uia excludetur uis, quae nunc a parentibus aliquibus filiis infertur, et illae ſic inſtitutae, ſponte ſua illud uitae genus ſectabũtur, in quo poſtea pie, ac conſtanter perſeuerabunt. cura uero ac gubernatio eorum, quae ad regendum huiuſmodi monaſterium extrinſecus neceſſaria erunt, aliquibus honeſtis ac nobilibus uiris, tam eccleſiaſticis, quam laicis tradi poterit: nam multi erunt neceſſarii, ut puellas, antequam recipiantur, domi ſuae uiſitent, et omnia explorent. quos etiã frequenter, minimum ſemel in ſingulis hebdomadibus, conuenire ad conſtituenda ea, quae monaſterio neceſſaria erunt, oportebit. uerum ne hoc cuipiã ſimile Reipub. illius Platonicae

uideatur, hic ſciat, Romae duo eſſe huiuſmodi monaſteria; alterũ in quo orfanae tantum puellae, alterum, in quo illae tantum, quae penes meretrices reperiũtur, maxime, ſi honeſta ſunt facie, ne ab illis, meretriciis moribus imbuãtur, recipiuntur: a quibus etiam ui, data tamen ad id a Principe illi nobilium uirorum ſocietati facultate, huiuſmodi puaellae abſtrahuntur. locus uero, in quo nunc orfanae puellae educantur, eſt illud antiquiſſimum templum Sanctorum quattuor Coronatorum, quorum nomina, ut hoc obiter annotem, diu ignorata fuerunt, ita, ut pro illis, quinque martyrũ natalis dies, nempe Claudii, Nicoſtrati, Simphoriani, Caſtorii, atque Simplicii celebraretur: ſed poſtea uera illorum quattuor Coronatorum nomina reuelata fuerũnt, et ſunt: Seuerus, Seuerianus, Victorius, et Carporius, ſollemnitas tamen eorum quinque, ut cõſtitutum prius fuerat, ſemper celebris permanſit. quod quidem propterea annotaui, quia, cum de ea re mentionem propriã Carolus magnus in eo aureo fragmento de ritibus ueteris eccleſiae faciat, recte me facturum putaui, ſi id quoque obiter annotarem, ut horum Sanctorum memoriã in men-

tem

tem hominum reuocarem. nam et templum ipſum, ac domũ, quae parietinae tãtum erant, Pius IIII omnium magnarũ rerum, quae optimo Pontifice, et magno Principe dignae ſunt, et in primis aedificiorum auctor, et effector praecipuus, elegantiſſime aedificari iuſſit, ut in eo commodiſſima ſit plurimarum puellarum habitatio. quarum quidem curam Sapientiſſimus uir Cardinalis Moronus habet. ne quis putet Romae huiuſmodi loca negligi, cum illis principes Cardinales, et hi, qui reuera lumina ſunt Eccleſiae, praeficiãtur. nam et alterius monaſterii, de quo antea dixi, quod uulgo ſanctae Catharinae funariae appellatur, curam antea habuit praeſtantiſsimus uir Cardinalis Caeſius, quam nunc, in demortui locum ſuffectus, ampliſsimus Cardinalis Ferrariae ſuſcepit. quo in loco nunc, pluſquam centum puellae ab illa peſsimarũ mulierum educatione liberatae, a quattuordecim monialibus ſanctiſsim educantur: de quibus hoc ſilere nõ poſſum, quod quidem, cum unus ex ea ſocietate ſim, optime ſcio: fiunt in eo monaſterio ſingulis annis ſumptus trium millium aureorum, cum monaſterium non habeat reditus trecentorum; itaque

reliqua pecunia ex eleemoſynis, et honeſtis puellarum operis conficitur. ex quo intelligere quiuis poteſt, illos, qui tam temere de illa Principe orbis Ciuitate maledicunt, omnino inſanire. nam, quamuis multi in ea urbe, pro ipſius magnitudine, homines mali reperiātur; ſunt tamen in ea quam plurimi optimi uiri, et matronae honeſtiſsimae: atque huiuſmodi eſt ea ciuitas, ut in ea bonis numquam praeſidiũ deeſſe poſsit. ſed, ne quis dicat hoc Romae tantum fieri, in aliis ciuitatibus idẽ fieri non poſſe, hic ſciat: Maioricae, quae eſt patria mea, eſſe monaſterium, quod proprie educationis domus appellatur, in qua nobiliorum filiae, maxime, quarum matres diem ſuum obierunt, ſumma cura educātur. itaque, quod in his ciuitatibus facile praeſtatur, in aliis quoque, ſi cura et diligentia adhibeatur, idem nõ difficulter conficietur.

Cum coeperim de huiuſmodi collegiis tractare, uolo meam quandam cogitationem ab hac collegiorum ratione nõ multum alienam, neque abhorrentem hoc ſcripto comprehendere. ea uero eſt, qui fieri poſsit, ut ſi ciuitates aliquae Turcarum, aut Mahumetanorũ, armis a Chri-

a Chriſtianis recuperentur, infra breue tempus illae eaedem ciuitates Chriſtianis impleantur. hoc praeclare facies, dicet aliquis, ſi eo magnã aliquam Chriſtianorum Coloniam deducas. uerum ea Coloniarum ratio nõ admodum utilis eſt, cũ regna propria hominibus nudemus, ut alias ciuitates impleamus. quod ſane uerum eſt. ſed quid, ſi ex Turcis, ac Mahumetanis efficio Chriſtianos; nonne hoc mirabile erit? non ſolum mirabile, dicet aliquis, ſed factu impoſſibile. uideamus ergo, ſi qua ratio non inepta huiuſce rei tam difficilis efficiendae inueniri poſsit: qua una Regi noſtro Catholico, qui facile multas Africae ciuitates recuperare poteſt, optime conſultum uidebitur. cogitaui ergo aliquando, capta ampla aliqua ciuitate Mahumetanorum, ut hoc, quod ſupra dixi, efficeretur, omnes feminas, quae maiores eſſent 12. et omnes mares, qui maiores eſſent quattuordecim annis in ſeruitutem eſſe ad noſtra regna abducendos: relinquẽdos uero eſſe in ipſa ciuitate pueros, ac puellas, qui infra eam aetatẽ eſſent. Ac pro numero puellarum, domos quaſdam amplas ciuitatis accipiendas eſſe, ut in ſingulis plus minus, quam ducentae puellae habitare

poſſent;

poſſent; quae omnes a decem honeſtis mulieribus noſtris in fide Chriſtiana inſtitui, atque educari commode poſſent. nam ſi in ea tenera aetate, longe a parentibus, atque omnibus aliis mahumetanis abeſſent, facile omni Chriſtiana diſciplina imbuerentur. Idem quoque uellem de pueris fieri, ſic, ut ipſi apud diuerſos artifices Chriſtianos uarias artes diſcerent. quod ſi decem eſſent huiuſmodi collegia puellarum, ac totidem puerorum; nonne ante decem annos, ex illis bis mille domos, plus minus, implere poſſemus? at dicet aliquis, ad hos tamẽ alendos magna quadã impenſa opus eſt? tanta ne, ut non multo maius lucrum ſit unius ciuitatis, quam illius impenſae? omitto rem ipſam, quae ſane eſt ſanctiſſima, et in qua multae animae Chriſto acquirerentur; ſed utilitatẽ ipſam more mercatorum cõſideremus; quis hac impenſa, de qua ſubtilius paulo poſt dicam, emptam ciuitatem, nõ uilem iudicarit? quod ſi Rex ſpolia omnia, ac manubias, et maiorum natu, qui in ſeruitutem abſtracti eſſent, pretium ad aerarium referri imperauerit; nõ dico omniũ, quia hoc fieri non poſſet, ſed magnae partis, non eſt dubium, maius futurum eſſe hoc lucrum ea im-

penſa,

penſa, quae in illis educãdis fieret. uerum prae ter ea, quae dixi, ſunt aliqua ad hanc rem confi ciendam neceſſaria. primum, cum dixi, omnes illos infideles maiores natu eſſe in ſeruitutem abſtrahendos, ex illis tamen aliquos agriculto res relinquerem, qui eſſent neceſſarii, ut militum praeſidiũ, et ea collegia ex frumẽto, quod ipſi ſererent, alerentur; quibus interim, ſi rectis ſuaſionibus, ac praedicationibus piorum hominum parere nollent, ſuo more uiuere permitterem; ſic tamen, ut longiſſime ab illis pue ris eſſent, qui in collegiis educarentur. praeter hoſce agricultores, eſt neceſſariũ militum praeſidium, quo ciuitas ab hoſtibus tuta eſſe poſſit. quod quidem in quacumque ciuitate, uel por tu, quem tueri uolumus neceſſarium eſt. itaque haec impenſa non eſt propria huiuſce rei, atque inſtitutionis puerorum, de qua nunc agi mus; ſed communis omnium arcium munita rum. ſunt praeterea neceſſarii ducentum, uel trecentum probi uiri ad inſtruendos pueros, et totidem honeſtae feminae inſtituẽdis puellis, ut ante dixi, qui tamẽ ad decem tantum annos neceſſarii erunt. et ſumi moniales, et monachi, uel pii ſacerdotes poterunt, qui uictu et ueſtitu

tantum cōtenti erunt: quorum impenſa quan tula quaeſo erit? ſed puellis ac pueris eſſēt mul ta neceſſaria? immo uictus tantum ac ueſtitus, qui facile ex tributis infidelium, qui relicti eſſent, uel ex manubiarum, et eorum, qui uendi ti eſſent pretio, ut ſupra dixi, haberi poſſet. ac ſane ea impenſa Rex numquam egeret. artifices etiam aliqui uariarum artium eo mittendi eſſent, ut pueros ea artificia, quibus Chriſtiani in ueſtitu, et rebus aliis omnibus utimur, docerent; quibus pueros ac puellas ſemper uti oporteret, ut omnem illam Mahumetanorum con ſuetudinem obliuiſcerētur. quorum artificum ex uicinis Chriſtianorū Regnis parua quaedā colonia, ex pauperioribus eo mittēda eſſet; qui bus etiam, ut diutius retineri in noua ciuitate poſſent, optimi agri eſſent aſſignandi. Ac ſane multum, et diligēter de ea rē cogitans, nullam magnam difficultatem in ea inuenio, niſi ſocor diam quandam noſtram, quā omnes, nō dico laboramus, ſed deſidemus: ut magis nobis pla ceat, nihil agere, et nihil meditari, quā dignum aliquid magni, ac Chriſtiani animi uiro efficere, uel etiam cogitare: quaeſo cogitate, ſi hoc maioribus noſtris in mentem ueniſſet, idq; ef-

feciſſent;

feciſſent; quot nunc in Africa ampliſſimas ciuitates Chriſtianis plenas haberemus? Tunetũ, ciuitatem maximam, Afrodiſiũ, Bogiam, Hipponẽ, Tripolim, Algeriamq. ipſam, quae nunc nobis tã importunae ſunt, haberemus; ac praeterea ampla quaedam Regna in Africa poſſideremus. quod ſi a maioribus factum nõ eſt, quia nec cogitatum eſt, obſecro, ut noſtro tempore, et cogitetur, et cum res tulerit, efficiatur. nam, quod ex paruo hominum numero cito quam maxima multitudo oriri poſſit, ex tribus Noe filiis diſcere poſſumus; quorum ſinguli ſingulas mundi partes, atque ipſarum Inſulas repleuerunt. et in libro Iudicum ultimo capite aperte hoc idem docemur; cum ex ſexcentis uiris, qui ex tribu Beniamin ſuperfuerunt, et totidẽ puellis, quae eis uxores datae fuerunt, breui tanta hominum multitudo edita fuerit, ut multarum urbium, ac pagorum aedificatione indiguerint. quid de Romanis dicam, ut de profana hiſtoria aliquid attingam, qui raptis puellis Sabinis, quas ſane non adeo multas rapere potuerunt, breui maximum populum, et orbis dominatorem procrearunt? itaque ſi cura, ac ſtudium optimorũ hominum adhibeatur, res

haec non ſolum nō eſt impoſſibilis, ſed neque factu ualde difficilis. uellem tamē primum, hoc idem omnino praeſtari in filiis eorum Mahumetanorum, quos in Hiſpania, atque in noſtris uiſceribus habemus. Obſecro uos uiri religioſiſsimi, quo nomine praecipue Valentiae, Granatae, Dertuſae, atque Aureolae Praeſules compello, ita ne erit, ut tantam animarum multitudinem perire ſinatis, neque remedium illis aliquod efficax, ac ſalutare afferatis? ſed uideo dicturos, rem eſſe, non ſolum difficilem, ſed factu impoſſibilem: quam quidem difficilem, atque adeo difficillimam eſſe non negarim; factu tamē impoſſibilem numquam eſſe dicam. uellem autē, ut uno eodemq. die, ex omnibus pagis ac locis, in quibus Mahumetani habitāt, quod imperio Regis Catholici, qui in hac re uobis maxime fauebit, fieri poterit, omnes pueros, qui nondum quattuordecim annos nati fuerint, et puellas omnes, quae nondum duodecimum annum attigerint, abducatis. quod ſi non omnes abſtrahi poſſint, illi ſaltem abducantur, qui bonam quandā indolem prae ſe ferent. dici uero parentibus eorum poterit ab armatis hominibus, qui eo accedent, ut timore

incuſſo

incuſſo nil tentare audeant, Regi, uel pagi domino, tantum ut recte educētur, illis opus eſſe. Ac puellas in monaſteria aliqua includite, maxime eas, quae praeſtare ingenio uidebuntur, aut filiae erunt ditiorum, ita, ut in ſingulis monaſteriis, uel amplis domibus ad id paratis decem, uel uiginti moniales, uel aliae honeſtae feminae habitēt, ut eas in fide, ac bonis moribus inſtruant. reliquas, maxime paulo craſſioris ingenii, ſi in illis domibus locus non ſupereſt, honeſtis matronis, ut eis ſeruiant, et ab ipſis fidem Catholicam, et ritus Chriſtianorum doceātur, tradite. pueros quoque eodem modo, partem in domibus aliquibus capaciſſimis collocate, in quibus ſint uiri probi, qui eos in fide et bonis moribus inſtituant, quos etiam artem aliquam doceri curabunt; partem bonis uiris, ut eis ſeruiant, et ab ipſis erudiantur, tradite. curandum uero erit, ut quantum fieri poterit, longiſſime ab eo loco, in quo parētes habitabunt, pueri huiuſmodi educētur. notabitur tamen, quinam ſint parentes ſingulorum et ex quo pago ſint, ut bona, paterna, uel eorum legitima pars eis integra conſeruetur. quorum parentibus, ſi paulo ditiores fuerint, imperari annuū

aliquid

poſſe a parentibus inuitis abſtrahi; hoc enim de illis Iudaeis intelligitur, qui neque ipſi, neque eorum filii ſunt baptizati; nam in baptizatis longe alia ratio reperitur, ut in canone paulo ante citato declaratur. illi enim, tametſi ego eos Mahumetanos uocaui, tamẽ et ſacra unda, ac baptiſmo loti ſunt, et eorum filii eodem baptiſmo Chriſto adſcripti ſunt, et effecti Chriſtiani. itaque proprius illorum Pater eſt Epiſcopus, qui animae illorum curam, ut aliorum omnium ſuae dioeceſeos, etiam inuitis parentibus, cum id animae periculum poſtulat, habere debet. flendum tamen eſt, quod hos, qui re uera ad Chriſtum pertinent, non alio nomine quam Mahumetanorũ, quia reuera hoſce mores ſequuntur, appellare poſſum. quod ſane, nõ ſine maxima omnium noſtrum culpa eſt, qui noſtris commodis dediti, uel, ut uerius dicam, cum hoc impoſſibile iudicamus, nõ eo ſtudio, quo oportebat, in hanc rem utiliſſimam, atque omnium in Hiſpania maxime neceſſariam, incumbimus; ſed difficultate deterriti, rem ſane difficilẽ, ne illam aggredi cogamur, prima ipſa cogitatione, tamquam fieri omnino non poſſit, reiicimus. uerum quod hi cogi poſſint ad

fidem

ſidem Catholicam ſeruãdam, quam uel inuiti ipſi, uel inuitis parentibus filii ſuſceperunt, Canone 56. eiuſdem quarti magni Toletani Cõcilii aperte docetur; ita, ut ille canon ad res Hiſpaniae noſtri temporis, magis, quam ad illas antiquas reſpexiſſe uideatur. Qui autem iam pridem ad Chriſtianitatem uenire coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſenandi, quia iam cõſtat, eos ſacramentis diuinis ſociatos, et baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, et Chriſmate unctos eſſe, et Corporis Domini, et ſanguinis extitiſſe participes, oportet, ut fidem, etiam quam ui, uel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur, et fides, quam ſuſceperunt, uilis ac contemptibilis habeatur. quod ſi quis iterum dicat, ad ea collegia puerorum, ac puellarum magnam quandam pecuniae ſummam eſſe neceſſariam, non negabo: ſed dico, propterea eſſe ampliſſimos reditus Eccleſiarum ueſtrarum, ut maximas huiuſmodi res tractare, atque efficere poſsitis. quamuis nõ tanta pecunia ad eam rem opus erit, quanta putatis. nam ad illos tantum pueros, et puellas alendas pecunia erit neceſſaria, qui in collegiis, uel monaſteriis educabuntur.

buntur. hi enim qui probis uiris, et puellae, quae honeſtis matronis traditae fuerint, ab illis alentur. pro illis uero eleemoſynae maximae, non ſolum in illis Regnis Valentiae, ac Granatae, uerum in omni Hiſpania libentiſſime dabuntur. nã res ipſa tam pia eſt, ut cognita quẽuis alliciat, et ſe ipſam maxime commendet. diligentia tantum, mihi credite, ac forti quodam animo opus eſt, cetera Chriſtus ipſe, cuius in hoc cauſſam agetis, non ſolum adiuuabit, ſed ipſe conficiet. quod ſi hanc rem ſerio ſuſceperitis, non ſolum iuſtum erit, ut a ueſtris clericis ex ipſorum reditibus adiuuemini, uerũ etiam bonam partem auri, et argenti eccleſiaſtici iuſtiſſime in eam rem poteritis conſumere. nam ſi Ambroſius ad liberandos a ſeruitute Chriſtianos hoc fecit, ſicut ipſe lib. 2. offic. cap. 28. teſtatur, ad quod etiam pertinet c. et ſacrorum cum duobus ſequen. 12. qõ. 2. quod ſine dubio ad corpora tãtum liberanda pertinebat; quanto magis uos idem facere ad liberandas a diabolo animas poteſtis? nec ſane tam acerbus ſum, ut omnia uos, quaſi ueſtris manibus, ſic ueſtra tantum pecunia uelim efficere, quamuis ea omnis in hanc rem profundenda eſt, duces tan-

tum opto uos eſſe praeſtantiſſimós, quales eſſe debetis. itaque res optimas ac maximas, uos primi aggredimini, et quantum in uobis eſt tuemini, aliorum uero omnium, Regis, in quã, ipſius, ac nobilium, reliquorumque auxilium implorate. tam ſanctis, ac tam piis uotis bonorum omnium ſtudia numquã deerunt: cumq. uos omnes in ea re iuuerint, ueſtra tamen, qui duces fueritis laus, ac gloria propria, et ſempiterna erit. Obſecro, recordamini Gregorium illum ſanctiſſimum, multa uirginum Deo dicatarum millia Romae, atque aliis in locis ſuo ſumptu aluiſſe, cum ad eam rem plura illi ex eleemoſynis, quam ex reditibus Romanae Eccleſiae praeberentur. cuius ſucceſſor Sabinianus, ut pauperes, quos ille aluerat repelleret, egere Eccleſiam dicebat: ac ſane ipſe egebat; cum Gregorius ille, qui eis non ſolum uictum, ſed ueſtes, et culcitras, atque alia omnia neceſſaria, tamquam proprius earum Oeconomus prouidebat, non ſolum nõ egeret, uerum etiam abundaret. huius ergo uiri Sanctiſſimi liberalitatẽ in rebus huiuſmodi, ac diligentiam imitamini; ac certo certius credite, honeſtis ueſtris cogitationibus, ac deſideriis, quãtumcum

que

que difficilibus, Chriſtum numquam eſſe de futurum.

Cum haec ſcripſiſſem, eaq. cum Reuerendiſſimo Epiſcopo Vſellis, optimo ac ualde docto uiro, qui tum Valentia ueniebat, Tridenti, ubi Concilii cauſſa una eramus, communicaſſem; narrauit mihi ille, multum ſe pro ea re laborauiſſe, ac praecipua quaedam capita ad eam rem conficiendam annotauiſſe. nam cum ipſe diu Valentiae moratus fuerit, et curam aliquot pagorum habuerit, in quibus huiuſmodi homines habitant, qui originem a Mahumetanis ducunt, potuit rem diligenter conſiderare, et remedia tãto malo neceſſaria, prouidere. quod ille, non ſolum fecit, uerum etiam Regem Catholicum Philippum ea de re diligenter admonuit: qui, qua eſt in Deum, et res omnes eccleſiaſticas pietate, libenter eius admonitionem accepit, eiq. promiſit, ſe primo quoque tempore curaturũ, ut ei rei efficax aliquod remedium adhiberetur. atque ei iuſſit, ut rẽ illam cum Archiepiſcopo Iſpalis, Regnorũ Hiſpaniae ſupremo Inquiſitore tractaret. qui, ut mihi Epiſcopus Vſellis retulit, rem ualde probauit, pro qua dixit ſe multo ante apud Carolum V. diligen-

DD 2 tiſſime

tiſſime egiſſe; cui rei ipſe, ut eſt uir prudentiſſimus, et Catholicae fidei acerrimus propugnator, omnino a Rege, et ab omnibus Epiſcopis, qui huiuſmodi homines in ſuis dioeceſibus habent, quam citiſſime conſulendum eſſe iudicabat. nam Epiſcopus Vſellis Regem urgebat, quod exemplo optimi cuiusq. Regis Iuda, et Iſrael, deberet excelſa e Regno ſuo auferre, et Prophetas omnes Baal, atque Ariolos, quales doctores quidam horum Mahumetanorum ſunt, quos ipſi Alfaquines nominant, e Regnis ſuis eiiceret, ac longiſſime propelleret. qui prius ad Catholicos Hiſpaniae Reges accedēs, grauiſſimam in Concilio Toletano ſexto, canone III. prolatam ſententiam, eidem Regi obiecit: qua ille, ut eſt religioſſimus Princeps, ualde fuit commotus. a qua ſane non puto facile Reges ipſos liberari poſſe. quod ſi de Regibus hoc ſtatutū uidemus; quid de Epiſcopis dicendum eſt? quos ſane non dubito illa eius canonis, atque aliis quā plurimis aliorum Canonū praeceptionibus obligatos teneri: quibus, cū haec in ſuis eccleſiis propriis oculis intueātur, omni conatu, ac ſtudio in eam rem incumbendum eſt, ut excelſa huiuſmodi e ſuis eccleſiis au-

ferant,

ferant, et Ariolos, mendacesq. doctores e ſuis dioeceſibus procul expellant: in quorum locum bonos uiros, et legis Chriſtianae peritos ſubſtituant. Ac ſane rebus illis, de quibus ſupra diximus, bene conſtitutis, quo ſolo remedio ui detur in futurum illorum inſtitutioni recte cõſuli poſſe, ad eos, qui iam grandiores in pagis remanerẽt, inſtituendos, atque iuuandos, haec eſſent praeſtanda: quae ab Epiſcopo Vſellis annotata, hiſce noſtris adiungere uolui. Ea uero breuiſſime, tamquam quaedam legum capita deſcribam.

Doctores omnes ſectae Mahumetanae, quos illi Alfaquines nominant, procul expellantur.

Omnes libri ſectae Mahumetanae omnibus auferantur, et ſub grauiſſimis poenis prohibeantur.

Illi, de quibus ignoratur, an ſint baptizati, cum condicione, ſi non fueris baptizatus, baptizentur. et ſemper nominibus Chriſtianorũ utantur, et more Chriſtianorum ueſtiantur. in futurum quoque Parochus proprium librum habeat, in quo nomina baptizatorũ deſcribat.

In ſingulis pagis collocentur ſinguli Sacerdotes, uel monachi probatae uitae, qui eos

doctrina

doctrina Chriſtiana inſtruant, et aliquis execu tor Regius, uel ſanctae Inquiſitionis, quos Hiſpani Alguaziles uocamus, ut eos cogat ſtatutis horis cum omnibus eorum filiis ad Eccleſiam proficiſci. quod ſi quid ſiniſtri, uel Sacerdotibus, uel Alguazinis euenerit, totus pagus teneatur ad poenam, niſi manifeſte de auctore ſceleris appareat, quaſi culpa eorum euenerit, ſicut facile credi poteſt. praeficiantur tamen huic rei homines Deum timentes, et mites, ut eos benigne tractét. et, ut, neque Alguazinus, neque Sacerdos aliquid ab eis extorqueant, aliunde habeant aliquod ſalarium, ſaltem primis decem annis, poſtea enim res melius conſtitui poterunt.

Obtineatur a Sanctiſſimo Romaño Pōtifice ampliſſima facultas pro his Epiſcopis, qui huiuſmodi homines habent in ſuis dioeceſibus, abſoluēdi eos a quibuſcumque grauiſſimis cri minibus, et diſpenſandi ob matrimonia in caſibus prohibitis contracta, atque etiam, ut illis, qui duxerint plures uxores, poſſint cōcedere, ut cum illa maneant, quae uideatur Epiſcopo commodior ad fidem Chriſtianam conſeruandam. et ut gratis diſpenſatio, et omnia huiuſmodi

iuſmodi dentur.

Vt eiſdem gratis, et non difficiliter concedatur diſpenſatio a proprijs Epiſcopis contrahendi matrimonia in quarto, tertio, et aliquando in ſecundo gradu conſanguinitatis, uel affinitatis, quando uidebitur inter hoſce coniuges facilius uera fides poſſe conſeruari. nam Diuus Gregorius in reſponſione 7. ad interrogationes Auguſtini Epiſcopi Anglorum, ut Neophitis Anglorum multo plus, quam aliis antiquis Chriſtianis in hiſce gradibus indulgeretur, conceſsit. quod Higmarus cap. 2. ſui libelli refert, et ualde probat. ad hoc etiam c. fin. de diuor. omnino referendum eſt.

Statuatur, nullum poſſe ab uno pago ad alium tranſmigrare, niſi habita facultate in ſcriptis ab Illuſtriſsimo Vicerege. nam alias, fugerent ab illis dominis, qui procurarent eos conuerti, ad alios, qui eos compendii cauſſa, uellent in Mahumetana ſecta cõſeruare. quae eſſet maxima occaſio iurgiorum inter ipſos dominos.

Haec mihi uiſa ſunt conſideratione non indigna: quibus tamen non dubito multo

plura

plura inueniri poſſe, modo illi, quibus ex officio in eam rem incumbendum eſt, ſicut debent, ita totam hanc rem diligenter conſiderare uelint.

FINIS.

Imprimatur, Frater Euſtachius Lucatellus, Promagiſter Sacri Palatii.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Google